De recondita febrium intermittentium, tum remittentium natura, et de earum curatione ... libri duo / [Senac (Jean-Baptiste)].

Contributors

Senac, M. de 1693-1770.

Publication/Creation

Neapoli : Apud Soc. Litt. & Typ, 1779.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/qr3gfnc4

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

P. A. Mongiardini



F. III
17-
18/s

19 Mr
246 pp

A2V. XVI Cm 76



Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30502561

51298

JOANNIS SENAC

DE RECONDITA FEBRIUM INTERMITTENTIUM TUM REMITTENTIUM NATURA, ET DE EARUM CURATIONE,

Variis experimentis & observationibus illustrata.

Editio Secunda auctior & emendatior.

Rerum eventa magis arbitror, quam causas queri oportere; & hoc sum contentus quod etiamsi quomodo quidque fiat ignorem, quod fiat intelligo.

Tullius Cicero.

NEAPOLI
Apud Societatem Litter. & Typographicam.

M.DCC.LXXIX.
Publica auctoritate.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

EDITORIS PRÆFATIO.

AD promovendam Medicinam nil ferme uſpiam ab eam profitentibus prætermiſſum; in ea ſtatim illuſtranda deſudarunt viri inter antiquos inſignes, tum multi ſubſequentibus ſæculis ingenii fama conſpicui; apud recentiores deinde accuratiori ſtudio agitari cœpit hæc diſciplina; de ea denique ingentem librorum copiam noſtra profudit ætas; ſed parem doctrinæ ubertatem ex tot laboribus non profluxiſſe merito queri poſſumus; an id autem naturæ, an artis, aut artificum vitio tribuendum?

Naturalis equidem Philoſophia ita exculta eſt, ut recentiores longo intervallo ſequantur antiqui; in

intimos naturæ recessus penetravit quorundam industria; imo & humani ingenii limites transcendisse aliquando videtur felix curiositas; si causas primas non attigerit, effectus tamen & phænomena assequi potuit; luculenta eorum saltem prostat historia, omniaque veluti ad lancem expensa ostentantur.

Longe dispar profecto est Philosophorum & Medicorum ratio; illi umbratiles, experimentis diditi, iisque solummodo incumbentes plura observare & invenire potuerunt; Medici vero multis impliciti continuo hac & illac vagari coguntur; assidue meditari, veterum & recentiorum versare monumenta, nova semper experiri & ægris adesse, æque necesse & difficile est; tempus ergo, vel experientia sæpe felicissimis defuit ingeniis, quorum ferax ubique fuit Medicina; tanta est ejus artis moles, ut ea veluti obruatur mens; huc accedit, ut vix non nisi extrema ætate, quam pauci attingunt, sufficienti supellectile instructi esse possint vel ii ipsi, qui summis laboribus eam sibi comparare conati sunt.

Artis incremento imprimis officit mos ille, seu

cæca

cæca ambitio de omnibus agendi morbis; divini ferme opus esset ingenii universam amplecti Medicinam; satius ad eam promovendam esset, quibusdam tantum affectibus observandis incumbere, omnia quæ de iis occurrunt colligere, & tandem post seram ætatem ea conferre, componere, ad causas revocare, & inde curationis principia deducere.

His ductus rationibus operis hujus Author magnam collegisse videtur observationum vim, & imprimis expendendis febrium phænomenis non infelicem navasse operam; cum casu in ejus quædam incidissem collectanea, id imprimis in iis mihi arrisit, quod ab omni hypothesi alienus, & experientiæ addictus esset; ea sola artem fecit, ipsaque tantummodo, præeunte tamen rationis face, duci tuto possumus.

Quod statim negotium facessit, est rerum ordinanda series; nexu quodam cohæreant oportet innumera, quæ omnino dissident, & quæ in diversas veluti vias mentem abducunt; has quidem ambages effugisse videntur qui nudam febrium inter-

mittentium diagnoſim, prognoſim & curam tradiderunt, numeriſque diſtincta aut minutim ſecta exhibuerunt phænomena & præcepta; ſed ita rerum conſpectus potius, quam ipſa natura mentis oculis objicitur; disjuncta & in indices quodammodo redacta perluſtrando, quaſi per ſalebras fertur ingenium, nec eorum rationem ei licet perſpicere.

Non ea methodo ductus inceſſit Author, quicunque ille ſit; de omnibus ſeorſim agit, ea ſuo loco collocat, & quæcunque ad ea attinent, experientia nixus proſequitur; ſtatim quidem varias febrium ſpecies attingit, deinde vero ad cauſas accedens, iis inquirendis incumbit, ſeu potius quæcunque finxerunt alii, veluti commenta reſpuit, iiſque tandem explosis, veroſimilia tradit; ea tamen brevitate & ſapientia, quæ Medicum decent & Philoſophum.

His præmiſſis ad febrium varia phænomena progreditur; de frigore nimirum prævio, de inſequenti calore, de ſudoribus eum excipientibus fuſe & ſeorſim diſſerit, & ſymptomatum eorum luculentam tradit hiſtoriam; quam vario deinde more incedant

va-

variamque præ ſe ferant ſpeciem oſtendit, & eorum cauſas, ſi quæ ſe prodant, non prætermittit; at quæcunque de iis adducit, obſervationibus, tanquam firmiſſimo Medicinæ fundamento, ſubjicit.

Sed cum eæ cauſæ, quibus ſtatis temporibus reduces ſuſcitantur paroxyſmi, tenebris obvolutæ ſint, anxie inquirit Author, quæ nam aliis in morbis periodorum febrilium ſequantur morem, ad eaſque referri poſſint, vel lucem aliquam iis affundere, deinde vero quæ conſequi ſoleant fuſe oſtendit, iiſque immoratur imprimis, quæ ad illuſtrandam curam inſervire poſſunt.

Hac ſtrata via veneni febrilis vim proſequi neceſſe erat, eaſque perluſtrare febres, quæ ſub falſa intermittentium ſpecie decurrunt; ſed non minus neceſſe erat eas, quæ a proprio deſciſcunt ingenio, & quæ aliquando veluti ſub larva latere ſolent, detegere; tales ſunt remittentes aut compoſitæ febres, quæ continuarum mentiuntur indolem; eorum autem omnium principia e naturæ gremio eruere conatur Author, & ubique experientia prætendit facem.

Quæ ſequuntur vero propius ad curationem ſpectant; veneni ſcilicet febrilis effectus, partium læſiones, quas inferre ſolet, indeque impendens diſcrimen; ea, inquam, omnia ſigillatim & ſumma cura in hoc traduntur opere; deerat profecto eorum omnium, quæ poſt febres intermittentes occurrunt, accurata hiſtoria; licet autem pleraque hæc ignota non ſint, quiſnam eorum congeriem mente aut ſcriptis complexus eſt?

Hinc ad multa alia progreſſus; ad intermittentes & ad remittentes, quæ mali moris ſunt, aditum ſibi paravit; quod vero magni momenti eſt, earum ſignæ diligentiſſime tradit; ne autem ulli relinquatur errori locus, iique morbi in ſe ipſis veluti in ſpeculo ſpectari poſſint, variam epidemicarum febrium adornat hiſtoriam, varioſque agrorum effingit caſus, & veluti oculis ſubjicit.

His denique veluti faſtigium imponitur, accurata vitiorum, quæ in cadaveribus occurrunt, exarata hiſtoria; quanti momenti hæc ſint cuique patet œconomiæ animalis non ignaro; his ſuperſtructa

ſit

ſit oportet univerſa Medicina; non equidem corporum ſectione ad primarias cauſas licet ſemper accedere; eæ enim ſæpe abditæ ſunt; ſed earum effectus clariori in luce reponuntur; quænam ſint partium læſiones v. g. in febre intermittenti, ſola nos poteſt docere anatomia.

Quæ ad cauſas earumque effectus, tum ad febris decurſum ſpectant, libris duobus traduntur; totidem vero circa curam verſantur; quod autem in pleriſque non occurrit ſcriptis, non minus fuſe & luculenter inſtituitur medendi methodus quam morbi ipſius hiſtoria; ſtatim de remediis generalibus, de eorum viribus, de tempore, quo in uſum vocari debent, inquiritur; dein vero expenduntur ea, quæ ſpecificorum nomine venditantur; propria denique febribus intermittentibus medendi methodus ex variis experimentis deducitur.

Ea autem triplex occurrit, & alia alteri mutuam præſtare poteſt operam: prima *eſt ea, quam uſurparunt Antiquiores, & quam adhibere quandoque cogimur, generalis nimirum, quæ remediis uti docet*

aliorum morborum curationi dicatis; in variis regionibus viget ea methodus, & hoc ineſt ei commodi quod nuſquam noxia eſſe poſſit, & quod naturæ ductum motuſque ſequatur.

Secunda *eſt illa, quæ ſudoriferis & aperientibus febrile venenum aggreditur, frigus præcavet & febrem ſimul avertit: quæ autem hic traduntur, obſervatione ſola variiſque prodeunt innixa experimentis; magni momenti eſt methodus hæc, non quidem incognita, ſed non ſatis exculta; variis in febribus aliquando veluti ſacra anchora eſt, & ea ſublata ſummum vitæ imminet diſcrimen.*

Tertia, *vulgariſque methodus circa propria verſatur remedia; ſtatim autem corticis Peruviani, divino veluti afflatu inventi, expenduntur vires; ſed præjudicatæ opinioni, quæ apud multos variis in regionibus invaluit, occurrendum erat: ideo remedio huic exprobratæ noxæ in medium afferuntur; non quidem eas immerito ubique incuſari credit Author; ſed perperam inſtitutæ curandi methodo eas tribuendas aſſerit; poſtea vero cautelas adhibendas diligen-*

ter

ter expendit, & quæcunque profert tum ratione tum observationibus comprobari videntur.

Postquam cortex Peruvianus ab omni suspicione vindicatus est, ejus exhibendi rationem definire Author aggreditur, variisque simul legibus & præceptis eam subjicit: deinde vero, quod plerisque Scriptoribus ferme intactum inaratumque dici potest solum, impedimenta omnia huic remedio adversantia accurate prosecutus est; oriuntur ea vel ex corporum temperie, vel ex morbis prægressis, aut denique ex ipsa febre, sive ex perversa medendi methodo; sunt sæpe hæc impedimenta veluti totidem morbi, quibus accommodandus corticis usus, aut quibus ab eo abstinere cogimur.

Quod vero ægros & Medicos summopere vexat, est febrium diuturnitas & pertinacia; multæ occurrunt quæ vix curari possunt; & quandoque, cum restituti per certum tempus videntur ægri, in pristinum relabuntur statum: causas autem ejusmodi contumaciæ accurate prosequitur Author, variamque ei medendi inquirit methodum; abusum imprimis

mis corticis Peruviani in his febribus toties incuſandum notat; eo exaſperari ſæpe ſolent omnia; oriuntur inde obſtructiones viſcerum, aliaque eorum vitia, quæ per totam ſæpe protrahuntur vitam; præceptis ergo ex certa experientia hauſtis ad ea avertenda opus erat.

Ad febres compoſitas, remittentes, & malignas tandem delabitur curatio: occurrunt eæ frequenter; &, ſi inexpertus ſit Medicus, eaſve non dignoſcat, ultimum ſæpe inſtat diſcrimen: quod vero vix credi poſſe videtur, morbus adeo febri intermittenti prima fronte abſimilis, pulveris Peruviani opera compreſſus, ſtatim ſæpe quieſcit; certo tamen modo exhibendus eſt, & alia nonnunquam cum eo uſurpanda ſunt remedia; o nimium felix humanum genus, ſi talia adverſus alios morbos ſpecifica e ſinu ſuo protuliſſet natura! manet forte nepotes hæc felicitas.

Optandum ſane fuiſſet ut in lucem editum eſſet opus hoc ab ipſo Authore, & ex ipſius autographo typis mandatum; amanuenſium enim incuria

varii

varii irrepſerunt errores; ſed tandem in exemplar incidi mendis expurgatum, &, quod majoris momenti eſt, plurimis illuſtratum obſervationibus & præceptis auctum.

INDEX LIBRORUM ET CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

De febrium intermittentium ſimplicium natura & de ipſarum ſymptomatibus & decurſu.

CAPUT I. DE Varia febrium intermittentium ſpecie. pag. 1
CAP. II. De variis temporibus, in quæ incidunt ejuſmodi febres. 7
CAP. III. De variis eorum placitis, qui febrium intermittentium cauſam in primis viis, aut in pancreate, aut in meſenterio, aut in liene, vel denique in organis tranſpirationi dicatis eſſe contendunt. 13
CAP. IV. De eorum opinione, qui e nervis febrem deducunt intermittentem. 16
CAP. V. De eorum ſententia, qui bilem, aut materiam

teriam quandam putridam, ut veram febris intermittentis cauſam incuſarunt. pag. 21
CAP. VI. In quo variis probatur argumentis, febrili cauſa per totum corpus diffuſa, hepar imprimis affici. 24
CAP. VII. De cauſis remotis. 28
CAP. VIII. De Frigore febrili. 33
CAP. IX. Quinam ſint frigoris febrilis effectus. 40
CAP. X. De calore & ſudore febrili. 48
CAP. XI. De apurexia quæ paroxyſmos ſequitur. 55
CAP. XII. De varia ratione, qua febris evaneſcit, aut exſuſcitatur, vel mutatur ejus inceſſus. 59
CAP. XIII. An in aliis affectibus inſit aliquid, quo duci poſſimus ad periodorum febrilium cauſam. 65
CAP. XIV. De diverſa cauſæ febrilis actione in variis febribus, in vernalibus v. g. & autumnalibus. 71
CAP. XV. De iis febribus, quæ ab intermittentibus alienæ, earum ſpeciem præ ſe ferunt. 76
CAP XVI. Quid ex præcipuis febrium ſymptomatibus ſequatur aut metuendum ſit. 82
CAP. XVII. De variis affectibus, qui febres intermittentes comitantur. 89
CAP. XVIII. De affectibus, qui poſt curatas febres ſuperſunt. 94
CAP. XIX. De vario relapſu in febres intermittentes. 99
CAP. XX. An ſalutares eſſe poſſint febres intermittentes, cum ſymptomatibus jam memoratis ſtipentur, & in tot abeant periculoſos affectus. 104

LIBER SECUNDUS.

De Febribus, quæ ab intermittentium more degeneres alienam induunt faciem.

CAPUT I. DE febribus compoſitis & larvatis in genere. pag. 109
CAP. II. Ut varie latere poſſit febrile venenum, & in aliena a febre intermittenti erumpere ſymptomata. 112
CAP. III. Ut in febrem mali moris abeat febris intermittens ſimplex. 119
CAP. IV. Ut commutentur febres intermittentes in alias, ſive remittentes, ſive continuas. 126
CAP. V. Oſtenditur variis obſervationibus, quam variæ ſint febrium continuarum ſpecies, in quas abeunt febres intermittentes. 135
CAP. VI. De febribus continuis & mali moris, in quas mutantur febres remittentes. 138
CAP. VII. Ut per ſe ipſas dignoſci poſſint febres remittentes, ſub alia ſpecie latentes, aut larvatæ. 146
CAP. VIII. Ut per propria aliis febribus ſymptomata innoteſcant certius quæ ad febres remittentes pertinent. 151
CAP. IX. Ut tandem quæ intermittentibus ſeu remittentibus ob alias cauſas, & ob certarum partium affectus intermiſcentur detegi poſſint. 156

CAP.

CAP. X. De partium vitiis, quæ in cadaveribus post febres intermittentes tum remittentes reperiuntur. pag. 162

LIBER TERTIUS.

De remediis generalibus tum peculiaribus aut specificis & de eorum viribus.

CAPUT I. QUam difficilis sit febrium intermittentium curatio, pag. 167
CAP. II. Ut natura febres intermittentes curet. 171
CAP. III. Ut ad eos naturæ motus referri possint curationes singulares, quæ casu fieri, aut remediis, quæ nullam cum febre rationem habere videntur. 177
CAP. IV. An dæta, ut fundamento, niti debeat omnium febrium intermittentium curatio. 185
CAP. V. De Venæ sectione. 190
CAP. VI. De evacuatione primarum viarum. 196
CAP. VII. De purgantium usu. 202
CAP. VIII. De aperientium usu. 209
CAP. IX. Quonam tempore exhibenda sint modo dicta remedia. 213
CAP. X. De remediis peculiaribus seu febrifugis proprie dictis, quæ emetica, vel purgantia, vel sudorifera sunt. 220
CAP. XI. De aliis remediis vi quadam arcana vel specifica agentibus. 228

LIBER QUARTUS.

De methodo in remediorum antifebrilium uſu adhibenda.

CAPUT I. PRæmittuntur quædam ad inſtituendam curationem pertinentia. pag. 240

CAP. II. De methodo, quæ remediis generalibus aut ſoli febri intermittenti non dicatis eam curat. 246

CAP. III. De methodo, qua per ſudores curantur febres intermittentes. 254

CAP. IV. Quomodo exhibenda ſint ſudorifera adverſus febres. 259

CAP. V. De methodo curandi febres per corticem Peruvianum. 263

CAP. VI. De corticis Peruviani non innoxiis effectibus. 269

CAP. VII. Quænam cautelæ adverſus noxios corticis Peruviani effectus adhibendæ ſint. 277

CAP, VIII. De Methodo obſervanda in corticis Peruviani uſu. 285

CAP. IX. An quartana febris peculiarem ſibi vindicet curationem. 293

CAP. X. De impedimentis, quæ in antecedentibus certarum partium affectibus, aut in variis temperamentis occurrunt. 302

CAP.

CAP. XI. De impedimentis ex ipſa febre, ex vitiis, quæ in varias partes inferre ſolet, & ex perverſa medendi methodo ortum trahentibus. pag. 309
CAP. XII. De curatione febrium, quæ cum deſierunt, iterum exſurgunt, tum quorumdam ſymptomatum, quibus ſtipari ſolent. 316
CAP. XIII. De curatione febrium intermittentium malignarum. 327
CAP. XIV. De curatione febrium remittentium vulgarium. 333
CAP. XV. De febrium continuarum remittentium, quæ mali moris ſunt, curandi methodo. 339

LIBER PRIMUS
DE
FEBRIUM INTERMITTENTIUM SIMPLICIUM NATURA, *ET DE IPSARUM* SYMPTOMATIS ET DECURSU.

CAPUT I.

De varia febrium intermittentium ſpecie.

FEbris intermittens ea eſt, quæ certis periodis diſtincta alterne inſurgit, & deſinit ad certum tempus; ſtatis ſcilicet horis & diebus, præmiſſo frigore incandeſcit, & deinde ſenſim remittit, donec ad veram deveniat apurexiam: prout autem variis intervallis diſtant a ſe invicem ejus recurſus, varia ſortitur nomina; quæ quotidie invadit, & evaneſcit, *quotidiana* nominatur; quæ alternis diebus recurrit, *tertiana;*

tiana; quæ vero quarta quaque die, *quartana;* ea denique, cujus acceſſiones inæquali incedunt greſſu, & incertis variiſque redeunt temporibus, *vaga & erratica* dicta eſt.

Alias quidem vetuſtior commemoravit ætas, eæque recentiori ævo feruntur obſervatæ, ut *quintanæ, ſextanæ, ſeptanæ & nonanæ;* quintanas profecto quandoque occurrere nemo inficiari poteſt; ſed aliarum obſcura eſt, imo plane incerta periodus; ſi illas negare non ſinat præſtantiſſimorum Medicorum fides, fateamur oportet eas raro fuiſſe obſervatas; imo & in ipſis, quæ talem præ ſe ferunt ſpeciem, ſubeſt utplurimum quidam dubitandi locus; poſſunt nimirum fortuito incidere quidam paroxyſmi in ſextum ſeptimumve diem; an vero conſtanter, aut per certum tempus, eodem proceſſerint greſſu, vix licet aſſerere.

His tamen, utcumque rationi conſentaneis, nimium tribui nolim; obſcurior eſt naturæ inceſſus; quæ ab ipſius more aliena putamus, cum ipſa ſæpe conſentiunt; poſſunt paroxyſmi inſolitis prodire temporibus; non mirum eſſet, ſi ſexta quaque die inſurgeret febrilis vis, cum tertia & quarta poſſit incandeſcere; imo deficere poſſet unus aut alter tertianæ paroxyſmus, & inde quintana aut ſeptana videretur febris; idem defectus in quartana varios poterit inducere typos.

Mihi aliquando occurrit quid ejuſmodi, varium tamen & mutabile; ideoque nil inde deduci poteſt; quidam nimirum tertiana laborabat notha; cum vero ea per octo dies omnino defunctus videretur; ecce diverſas acceſſiones, quæ

modo

modo quinta, modo ſexta, alias ſeptima inſurgebant die; certum autem eſt, quod ii paroxyſmi ejuſdem eſſent naturæ ac illi, quos antea expertus fuerat æger; cortice enim Peruviano tandem ſublati ſunt.

Similia fortaſſe potuerunt quibuſdam occurrere exempla, infrequentia tamen, atque incerta utplurimum; magis autem dubiæ quoad naturam & fomitem mihi videntur illæ febres, quarum paroxyſmi longiori diſtant intervallo; eas imprimis, quæ ſingulis quindecim diebus, aut ſingulis menſibus recurrere memorantur, vix adduci poſſum ut credam de genere fuiſſe intermittentium; pendere poſſunt adeo diſſiti inſultus a cauſis peculiaribus, ab hæmorrhoidibus, v. g. aut a menſtruis, ſive a quodam alio affectu ſtatis temporibus reſurgente.

De iis igitur ſolis agemus febribus, quæ non ita inſolitum ſequuntur typum; quotidianam tamen inter veras intermittentes non numerabimus; earum enim natura omnino diverſa eſt, ut alias oſtendemus; huic quidem ſententiæ adverſantur multi, qui de quotidiana intermittenti non minus confidenter quam de tertiana egerunt, ſed ſi, eorum pace, quid ſentiam proferre liceat, iis multum a vero, etiam cum obſervationibus duci viderentur, aberrare contigit.

Quæ intermittentium nomine præ aliis inſigniri debent febres, tertianæ ſunt & quartanæ; ex his conſtant aliæ omnes ferme, quæ periodis diſtinctæ incedunt, ut tertiana, & quartana duplex: ita ordinate procedunt earum paroxyſmi,

ut facile dignoſci poſſit ipſarum natura & compoſitio.

Cum v. g. occurrunt quæ ſingulis diebus exſurgant & deſinant, ſi una die levior, altera vero gravior ſit paroxyſmus, illico patet duplicem adeſſe febrim, aliam nimirum levioribus paroxyſmis, alteram vero gravioribus conſtantem; leviores levioribus, & graves gravioribus tertia quaque die reſpondent; quæ igitur febris prima fronte quotidiana videbatur, ea ex duplici componitur tertiana.

Facilius dignoſcitur quartanæ duplicis ratio & inceſſus: exoritur ſcilicet febris hæc, & deſinit certa hora, duobus ſucceſſive diebus, & tertio ſolet quieſcere; at quarto iterum, & quinto ſe prodit: hinc paroxyſmus primus & tertius, ſecundus & quartus duobus diebus intermediis a ſe invicem diſtant; rarior quidem eſt hæc compoſitio; ſed tamen in quartanarum frequentia ſolet occurrere, nec ullus eſt Medicus in praxi verſatus, qui eam ſæpius non obſervarit.

Si quibuſdam habenda fides, occurrunt tertianæ & quartanæ triplices; triplex dicitur tertiana, cum duorum dierum ſpatio tres inſurgunt paroxyſmi, unus v. g. ſingulis ſexdecim horis; obſervatus eſt ejuſmodi typus *Galeno* & *Riverio*, ſed quomodo tertianæ ſpeciem referre credi poteſt? an quia intra horas 48 *tres* ſucceſſive inſurgunt paroxyſmi? an quia *tertia* quaque die poſt eos incidit intercalaris quies, ſive apurexia aut remiſſio? num autem inter inſolentia febrium phænomena id reponi debet? in ejuſmodi

typo,

typo, ſemper incerto, nil niſi *ternarium* quorundam phænomenon numerum licet animadvertere; abeſt omnino veræ tertianæ ritus & inceſſus.

Aliquando equidem in diem eandem incidunt duo paroxyſmi, eoſque inſequitur intercalaris quies; poteſt tunc quæ ita incedit febris, tertiana duplex appellari, cum ſint revera duæ, quæ tertia quaque die redeunt; ſed hujuſmodi typus infrequens omnino eſt, nec peculiare meretur nomen; noſſe ſufficit abnormes eſſe poſſe paroxyſmos; modo ſcilicet plures una die, modo unum aut nullum altera occurrere; mira profecto exorta eſt in Medicina confuſio ex eo quod eadem diverſis rebus, aut iiſdem diverſa indita ſunt nomina.

Quod vero ad triplicem attinet quartanam, ea, ſi ſpectentur tantummodo paroxyſmi, a quotidiana vel tertiana duplici diſtingui non poteſt; nec profecto aliud quidpiam in ea obſervarunt Medici, niſi paroxyſmum, qui in quartanæ duplicis intercalarem diem incidit; talis v. g. fuit *Celſi* ſententia, qui de ea febre in quotidanam mutata egit; eum ſecutus eſt *Hoffmannus*, qui quotidianum ex quartana ortum inſultum memorat; ita tamen, ut paroxyſmi non eadem hora quotidie ſuboriantur, ſed quarta quavis die acceſſionis terminum conſpirent.

Tertianas & quartanas quadruplices tum ſextuplices quidam memorant, ſed opinione potius quam obſervatione ducti multiplicem hanc febrium geneſim in medium adduxerunt; plures atque inordinatos viderunt paroxyſmos, in eorumque

incerta ſucceſſione vel reditu quoſdam finxerunt typos ; ſed primo quidem, vere intermittentes non ſunt ejuſmodi febres ; fieri enim nequit ut inter earum acceſſiones ſit apurexia, aut ut eæ tertianarum vel quartanarum more ſibi reſpondeant ; certum enim nequaquam ſervant ordinem, vel ſi eum ſervare videantur, brevi diverſo, ab eo cœperunt, feruntur greſſu, eoque ſemper turbato ; quod vero rem totam conficit, Medicis longa experientia exercitatis vix quidquam ſimile occuriſſe memoratur.

Si quæ tamen incidant ejuſmodi febres, eas ad incertas ſeu erraticas referre oportet ; earum naturam & ingenium graphice deſcripſit *Celſus* : *Acceſſiones, inquit ille, modo ſingulæ ſingulis diebus fiunt, modo binæ pluresve concurrunt ; ex quo ſæpe evenit ut quotidie plures acceſſiones remiſſioneſque ſint ; ſic tamen ut unaquæque alicui priori reſpondeat* : hæc quidem ab eo Authore de quotidiana dici videntur ; ſed capite de febrium ſpeciebus, expreſſe vagas indicat : *Si plures, inquit, acceſſiones veniunt . . . ſi impares ſunt . . . ſi altera gravior, altera levior, ſi altera longior vel brevior &c.*

In alias febres compoſitas abeunt ſimplices intermittentes ; in continuas ſcilicet, ut videbimus, poſſunt commutari, ſervato tamen, partim ſaltem, quo a cæteris diſtinguuntur, typo ; poteſt fieri præterea ut cum aliis incedant morbis ; ſed de febribus ſimpliciter intermittentibus agemus, ut melius deinde compoſitarum innoteſcat natura.

CA-

CAPUT II.

De variis temporibus, in quæ incidunt ejuſmodi febres.

QUacunque equidem tempeſtate & ubique prodire poſſunt febres intermittentes; ſed certa eis a natura præfixa ſunt & quaſi dicata tempora, ver ſcilicet & autumnus; earum exortum, progreſſum, finem & reditum ſumma cum diligentia proſequutus eſt *Sydenhamus*; noſſe interim ſatis eſt ipſas modo citius, modo ſerius exoriri & evaneſcere; Januario menſe aliquando, quod rarum eſt, Februario vero utplurimum ſe exerere, Junio & Julio vix quoddam ſui veſtigium relinquere; menſe Auguſto, citius tamen nonnunquam, caput attollere; utplurimum vero non niſi verſus Septembris initium apparere, eas accedente hiemali frigore comprimi ocyus vel tardius; hæc denique omnia pendere ex regionum diverſitate, ex corporum conſtitutione, ex tempeſtatum vi, ex primaria morbi cauſa, &c.

Hæ autem febres, vel ſporadice, id eſt ſparſim hac & illac diſſeminatæ, vel epidemice, id eſt certis incumbentes regionibus, & in pleroſque aut plurimos ſaltem ſævientes, graſſantur; quo autem graviores futuræ ſunt, eo citius incipiunt; at licet nil inſit corporibus, quod ipſas poſſit accerſere; & licet ea adeo diverſa ſint, tamen æque

ferme morbo adventanti patere videntur; imo, ut experientia conſtat certiſſima, quæ firmiori pollent virium robore, ea magis epidemiæ graſſantis experiuntur vim: ipſa quidem *Sydenhamus* cachecticos minus attingi exiſtimavit; mihi vero ſecus non raro viſum eſt; ſi qui a late ſerpenti labe immunes occurrerint, maxime pueri, vel quibuſdam affectibus nerveis tentati; nil tamen quod perpetuum ſit hac de re licet ſtatuere.

At ſive ſporadice ſeu epidemice inſurgant febres intermittentes, non ſimul aut quovis tempore prodeunt omnes earum ſpecies; modo ſcilicet tertianæ, modo quartanæ, alias tertianæ duplices, ſive continuæ vel mali moris, aut denique inconſtantes & anomalæ graſſari poſſunt; una ergo eademque cauſa diverſa ſit, ſeu acrius urgeat oportet per certas tempeſtates, quædam ſcilicet febris peculiaris veluti dominio potiri ſolet; ſed temporis lapſu quæ a vulgari aberrant typo, vel quæ compoſitæ ſunt, ad ſimplices ſæpe, id eſt ad inſitum ipſis ingenium redire obſervantur.

His præmiſſis, inquirendum ſupereſt quare vere & autumno oriantur febres intermittentes potius quam aliis temporibus? quod ver quidem ſpectat, nonne ea tempeſtate, veluti novo igne admoto, aut terræ fœcundo halitu exſuſcitatur vitæ fomes? nonne cum aperiantur univerſi corporis ſpiracula, iis exhalant quæ conſtrictis per hiemem partibus coercebantur? atqui inde, ſi nil aliud intercederet, ægritudinum potius curationem quam febris intermittentis exortum ominari liceret; confirmatur id æſtivo calore, qui univerſa

verſa ejuſmodi febris ſemina difflare ſolet.

Contraria equidem præſtat autumnus; incidit enim ea tempeſtas in corpora, quæ æſtate deflagrarunt; per eam validiori impetu caloris rarefacientis vi fertur circuitus; in alkaleſcentiam & putredinem inclinant humores; inde bilis acrioris auctus urget proventus; atqui autumnali tempore, conſtrictis partibus, retinentur ea, quæ eliminari neceſſe erat; hinc ergo repeti poſſe febres intermittentes veroſimile admodum videtur; ſed quomodo ex ejuſmodi corporum *diatheſi* ad eas potius quam ad alios morbos fiet aditus? nonne ſapienter *Hippocrates* effatus eſt in univerſum acutiſſimos eſſe per autumnum morbos, ver autem minime eſſe exitiale, imo & eſſe ſaluberrimum.

Ne profecto in temporis ſolius mutationem rejiciantur febres intermittentes vetat ipſa experientia; nonne incidunt ſæpiſſime anni, quibus vere & autumno eæ vix aut nequaquam ſolent apparere? imo ſi hiems acerrima, ver inconſtans & varium, æſtaſque retorrida fuerit, tum ſi autumnus frigora & pluvias adduxerit, ſi, inquam, hæc ita ſe habuerint, non idcirco ſemper exoriuntur eæ febres; e contra vero prorumpunt & graſſantur aliquando, cum gratæ tempeſtatum vices ſalubritatem ſpondere videntur; aliæ ergo ſint cauſæ neceſſe eſt, quæ ejuſmodi morbis progignendis aptæ ſint.

Quod autumnum ſpectat horæi quidem fructus ſolent incuſari; nec profecto quin ad febres conferre aliquando poſſint negari poteſt; ſi maturi tamen ſint, ut remedia potius quam ut morbi

cau-

cauſæ haberi debent; ſi vero iis ineſſet aliquid, quod ſuſpicari liceret, non in eo præcipuum eſſet tempeſtatis vitium; cum apud Tungros duobus annis ſucceſſive caſtra poſuiſſet Gallorum exercitus, fructuum omnium etiam apud ditiores ſucceſſit inopia; atqui nihilominus epidemice graſſatæ ſunt intermittentes; dein vero atrox ſæviit dyſenteria, & tunc inſolitum ingenſque muſcarum agmen agros & domos urbanas, hominibus æque & animalibus infeſtum, pervaſit & obſeſſit.

Alia potiori jure, quamvis ſenſibus minus obvia, incuſari poſſunt; ejuſmodi ſunt exhalationes, quæ aerem inficiunt & partium functionibus adverſantur; conſtricto nimirum per hiemem terræ ſinu, retinentur in eo multa, quæ pejores deinde ſibi adſciſcunt dotes; vere autem laxatis veluti repagulis per patentia ſpiracula in aerem exhalant; æſtu interim ſuccedente exhauriuntur, aut immutantur, & tandem quæ reliqua ſunt exſiccata coercentur terræ ſuperficie; at adventante autumno, iterum prodit exhalationum proventus; nec in aerem ut antea altius diſpergi poſſunt & a corporibus amoveri: hæc quidem omnia per ſe patent; non deſunt tamen argumenta, ex variis petita obſervationibus & experimentis; excipiantur v. g. intra receptaculum vapores e terra exhalantes, magna aſcendet in illud eorum vis verno tempore; at deficiet æſtate omnis affluxus, dum accedente autumno reſtituatur: en ergo cauſam hieme præparatam, vere prodeuntem, calore repreſſam, autumno deinde ſe efferentem,

va-

variam tamen pro varia temporum ratione.

Iis procul dubio plura edocemur, quam metereologicis quibuſcunque obſervationibus; ex his ferme nihil deducere potui, quod lucis aliquid febrium intermittentium geneſi affunderet; nullæ ſunt temporum peculiares mutationes, quibus non exoriantur ejuſmodi febres; multa ex hieme in ver, ex vere in æſtatem, ex æſtate in autumnum varie redundant, quæ ſenſibus percipi nequeunt; venti, quibus perflantur regiones, in eas multa conferunt & inconſtanter mutant; ex innumeris denique ſimul concurrentibus, & quæ in varias tempeſtates latenter incidunt, pendent iidem morbi; atqui nuſquam ſimiliter concurrunt eadem, & conjuncta opera, eodem modo corpora non afficiunt.

Ideo citius aut tardius incipiunt aut deſinunt febres; ideo cum præcox eſt earum adventus, graviorem fore epidemiam ominari licet; ideo denique in hiemem proceſſiſſe magnam earum ſtragem aliquando obſervavi; minus interea eos, qui antea intacti aut ipſarum immunes fuerant, attingebant; in illos præcipue, qui haſce jam experti erant, ſolebant recidere.

Quæcunque autem hac de re ſtatui poſſunt, videre eſt apud *Hippocratem*, tertia imprimis Aphoriſmorum ſectione; an his quidquam addiderit recentiorum ſedulitas, ſane incertum exiſtimo: hoc tantummodo videntur aſſecuti, ut ſimili ſtudio tempeſtatum morborumque in variis regionibus ſucceſſiones obſervarint; ſed utrum, juxta ſummi hujus Viri præceptum, divinatione quadam eas

præ-

prævidere fas ſit, non immerito dubitare licet; multa profecto proſtant indefeſſo labore obſervata de ejuſmodi ſucceſſione; quis tamen iis inſtructus, febres peſtilentes, anginas gangrænoſas, atroces dyſenterias, pleuritides exitiales, ſudorem Anglicum, exanthematum deleterium adventum auſit ominari? vereor ne inanis potius librorum inde prodeat ſeges quam doctrinæ incrementum.

Non poſſumus ſaltem aſſidua licet & accurata barometri obſervatione ad morborum impendentium præcognitionem duci; non dubium equidem quin ad multos affectus ſilentes exſuſcitandos plurimum valeat aeris gravitas; certis id liquet experimentis; ſed eo ſive graviori ſeu leviori exortas aut excurrentes vel evaneſcentes æque obſervavi febres; perinde de iis ſe res habet ac de aliis morbis; quis autem tuſſim illam epidemicam, quæ verſus annum 1734 totam pervaſit Europam, cum aeris gravitate quandam habere rationem credere poſſit? ſed de his ſatis ſuperque; jam ad febrium immediatas cauſas propius accedendum.

CAP.

CAPUT III.

De variis eorum placitis, qui febrium intermittentium cauſam in primis viis, aut in pancreate, aut in meſenterio, aut in liene, vel denique in organis tranſpirationi dicatis eſſe contendunt.

QUod dignoſcere in ejuſmodi febribus maxime arduum occurrit, eſt cauſa per vices exſurgens & deliteſcens; torſit ea ab omni ævo Medicorum ingenia; pauci fuerunt, qui ejus ortum, naturam & vim attingere auſi non ſint; pituitam & melancholiam incuſarunt veteres; ſpiſſiorem vero ſanguinem, ſolidorum laxitatem, fermentationem, miras exploſiones commenti ſunt recentiores; ex his denique nonnulli animam ſeu nervei ſyſtematis præſidem in medium adducere non dubitarunt; atqui hæc omnia, quæ fingendi libido protulit, ſponte corruunt; alias minus a naturæ ductu prima fronte aberrantia non firmiori ſtant fundamento; ſtatim autem ubinam ſint, juxta multorum conſenſum, febrium intermittentium ſcaturigines breviter oſtendemus.

Variis in partibus hærere febrilis cauſa viſa eſt; & primo quidem eam in primis latere viis multi exiſtimarunt; argumentum autem præcipuum, quo id probari videtur, ex ſymptomate in febribus intermittentibus ferme aſſiduo deducitur; vomitus

mitus ſcilicet paroxyſmos antecedit: prima ergo febrilis cauſæ vis in ſtomachum agens, videtur in eo hoſpitari; ſed cujuſcunque generis acutos morbos præcedere ſolet nauſea & vomitus; variolæ, v. g. & pleuritides, aliique morbi a primis viis nequaquam ortum trahunt; atqui tamen prænuntio vomitu invadere ſolent.

Non minus abſonum eſt, quod nonnulli ab aquæ frigidæ potu repetunt argumentum; ea ſcilicet hauſta intenſior viſa eſt febris; at ſi calida hauriatur aqua, leviores admodum fient vomendi conatus; præterea in algore febrili contrahitur omnium partium textus; an ergo ex eo quod nova vis contrahens, aqua ſcilicet frigidior, ventriculum ſubvertat, latere in primis viis primam mali labem ſtatui poteſt?

Inania eſſe ejuſmodi argumenta patet imprimis ex incertis evacuantium remediorum viribus; ſi enim ex prima digeſtionis officina penderent intermittentes febres, emeticis ſolis aut purgantibus abigi poſſent; quis autem neſcit eas ejuſmodi remediis non ita obſequi, ipſiſque non raro exaſperari? præterea membris admota topica, cortex ipſe Peruvianus in inteſtina per clyſterem injectus, febres intermittentes ſæpiſſime ſuſtulerunt; atqui tamen in primas digeſtionis vias non agunt ejuſmodi medicamenta.

Inteſtinalem tubum, aut fæces in eum confluentes, in eoque a natura ſua degeneres, non magis incuſare licet; nullo poteſt probari argumento, in ejus tubi receſſibus latere intermittentium febrium fomitem; equidem excutitur aliquando e

ſua

ſua ſede purgantium vi, ut diximus; at idem præſtant innumera alia remedia alvum non moventia; præterea ejus expurgatione liberantur ſæpe aliæ partes, in quibus hærent morborum cauſæ: quæ hydropem inducunt v. g. quam longe aliquando abſunt ab inteſtinorum ambage; atqui tamen, ſi acriori ſollicitentur ſtimulo, colluviei fontem exhaurire ſolent.

Aliam partem non minus inſontem incuſarunt Medici: in pancreate ſcilicet latere viſa eſt cauſæ febrilis ſedes, eamque obſervationibus anatomicis indicari creditum eſt; inventa eſt enim pars hæc ſcirrhoſa aut apoſtemate laborans; at num morbi potius progenies quam cauſa fuit hæc labes. Quot ſunt ægri, qui pancreatis obſtructionem paſſi ſunt, nec tamen ullum experti fuerunt febris intermittentis inſultum; eam igitur opinionem ut verum commentum prætermittemus.

Nec pluris quidem facienda eorum ſententia, qui in meſenterii latebris hærere mali fomitem exiſtimarunt; hoc nec ratione, nec experientia comprobari poteſt. Varie quidem affecta reperta eſt pars hæc, tot glandulis obſita, & in qua tantæ vaſorum ambages; at ſæpius nil in ea obſervare eſt, quod ut prima febrium intermittentium cauſa incuſari poſſit, vel quod ſine ipſis non ſoleat occurrere.

Non magis audiendi ſunt ii, qui ex cauſa in lienis vaſculis aut loculis hoſpitante quartanas febres deducere conati ſunt; quanta ſit ſæpe hujus viſceris moles aut labes abſque ullo hujuſce febris veſtigio cuivis notum eſt; vertentur profecto in

ægro-

ægrorum perniciem ejuſmodi opiniones, ſi inde ſolum petantur curationis leges; quam multi olim, imo & præcedenti ſæculo, exhauſti aut ſublati ſunt Medicis melancholiæ expurgandæ nimium intentis.

Non potiori denique jure incuſatus videtur tranſpirationis defectus; ſunt equidem exempla quædam, ex quibus deduci poſſe videtur talis febrium intermittentium cauſa; obſervatum eſt, v. g. pueros, qui fructuum horæorum copiam ingeſſerunt, febre intermittenti corripi, ſi in aquam fluviatilem ſe conjiciant; conſtat etiam poſt balneum frigidum excitari paroxyſmi febrilis ſpeciem; ſed non minus certum eſt inhiberi poſſe perſpirationem abſque ullo febris inſultu; liquet id ex hiemali frigore, quod tranſpirationi adeo adverſum eſt; cum objiciuntur corpora tepida aeri frigidiori, non inde exſurgit utplurimum febris intermittens.

CAPUT IV.

De eorum opinione, qui e nervis febrem deducunt intermittentem.

AB his cauſis, utpote incertis, ad alias minus ſenſibus obvias confugerunt Medici; multis perſuaſum videtur e nervorum actione cuivis ignota repetendam eſſe febrium intermittentium originem; alii nimirum ſucci nervei inertiam, alii vero ejuſdem perturbatum comminiſcuntur influxum;

xum ; ſubitam imprimis paroxyſmorum invaſionem, non aliunde niſi e nervis deduci poſſe exiſtimant ; in medium afferunt exempla, quibus probatur ſucceſſiſſe intermittentem febrem animi pathematis ; imo in ea prodeſſe corticem Peruvianum contendunt, non alia de cauſa atque in affectibus hyſtericis, quibus aliquando aliquid opis attuliſſe videtur remedium ejuſmodi.

Mirum ſane eſt finxiſſe Medicos ejuſmodi cauſas, quæ a ſenſibus ita remotæ ſunt ; non eſt merus affectus nerveus febris intermittens ; nullo id ſaltem argumento probari poteſt ; invaſio v. g. ſubita illum non innuit ; ſi eam explicare arduum ſit, non idcirco quid æque difficile licet fingere ; in nervorum origine unice hærens, modo defervens & modo incandeſcens, ſeu ad exploſionem veluti præſto adſtans cauſa, nec ſenſibus nec rationi facilius patet.

Non requiritur tantus & adeo mirabilis in nervis apparatus ut de repente prodeat febris intermittens ; ſunt alii morbi a variis omnino cauſis repetendi, qui, ut omnibus notum eſt, repentino exurgunt inſultu ; mitto apoplexias & paralyſes, de quibus fortaſſe dici poſſet, quod ad nervos pertineant, cum ex iis compreſſis oriantur ; ſed dolores acerrimi, colici, vel rheumatici, vomitus enormes, vel ii etiam, qui morbos acutos antecedunt, corpora ſana de repente aggrediuntur ; ſimiliter ergo quædam poteſt eſſe cauſa, a nervorum affectu non minus aliena, quæ febrem intermittentem ſubito exſuſcitet.

In motum quidem aguntur nervi in febrili frigore; nam id, ut dicemus, mere ſpaſmodicum eſt; ſed nonne in aliis morbis a nerveo affectu non pendentibus idem ſolet occurrere? in pleuritide v. g. incipiente, imo in febribus continuis, inſurgente frigore, eoque intenſo, earum ſæpe prænuntiatur invaſio? atqui tamen, non a nervorum origine, ſed ab inflammatione vel obſtructione, aut variorum miaſmatum arcana vi, ortum ducunt aut ducere poſſunt ejuſmodi morbi.

Non minus leve eſt argumentum, quod ex terrore aliiſve animi pathematis, febrem intermittentem aliquando exſuſcitantibus, deducitur; & primo quidem inter millenos, qui terrore aliove motu interno exagitantur, vix unum reperias, qui in ejuſmodi febrim incidat; quod autem tam raro occurrit, alioſque diverſos morbos inferre ſolet, cauſa febrilis vera & unica dici nequit; deinde vero aſſeri non poteſt in iis ipſis, qui poſt affectum nerveum febri corripiuntur intermittenti, non latuiſſe antea ejus fomitem, qui mentis & nervorum vi excitari potuit.

Multo minus a nervis repetendus videtur ejuſmodi morbus, ex eo quod eorum motu aliquando ſublatus ſit; nonne profluentibus affatim humoribus tollitur ſæpe febris intermittens? eam tamen ex eorum colluvie ortum ducere ideo cenſeri non poteſt; idem dicendum de aliis quibuslibet, quorum opera deceſſit aliquando morbus hic; ad ejus detegendam cauſam, nil ferme ex ſingulis remediis, quæ profuerunt deduci poteſt.

Con-

Confirmantur hæ rationes graviſſimo argumento, ex affectibus ipſis nerveis deſumpto; quam multi & quam varii ſunt ii in mulieribus hyſtericis v. g.? atqui tamen non ſunt eæ febribus intermittentibus magis obnoxiæ; imo mihi obſervatione compertum eſt eaſdem minus veneno febrili attingi; & ſi eo forte attingantur compeſci ſolent nervei motus; unde in eis quædam a febri diverſa ineſſe veroſimile eſt.

Imo non aliqua ſolummodo, ſed omnia aut præcipua ſaltem, ab affectibus nerveis in febre intermittenti aliena ſunt; in ea pulſus validus, magnus, æqualis viget; ſolvitur eadem ſudore, quo perfunditur corpus quolibet paroxyſmo; judicari ſimiliter ſolet evacuationibus, puſtulis labia obſidentibus, urina craſſius ſedimentum dejicienti, ut alias dicemus; at e contra, in nerveis affectibus pulſus eſt parvus & inæqualis, non profluit ſudor, non fit judicium eruptionibus, evacuationibus, urinarum ſedimento &c.

In pueris ſyſtema nerveum admodum mobile eſt; illi tamen febrilium inſultuum magis quam adulti immunes ſunt; unde patet quam incongrue in exemplum adducantur ad febrilem vim in ſpiritu nerveo ſtabiliendam; tentantur quidem aliquando convulſionibus tenerrima eorum corpora cum febre laborant intermittenti; ſed plerique, & ipſi etiam, qui ea vexati & confecti ſunt, convulſivos non experiuntur motus.

Quod vires ſpectat corticis Peruviani, eas quidem in variis morbis proficuas eſſe negari nequit; imo in ipſis affectibus hyſtericis ipſum pro-

deſſe certum eſt ; an ergo ex eo quod febris medeatur aſſeri poteſt eam ex eodem fomite, ex quo inſurgunt affectus illi, eſſe deducendam ? eodem profecto jure dici poſſet vitia ſtomachi, quæ emendat remedium hoc, ſuppreſſionem menſtruorum, quæ promovet, gangrænam denique, cui tollendæ ita aptum eſt, ex nervis ſimiliter ortum ducere.

Sed quam leve ſit petitum ex corticis in hyſtericos affectus viribus argumentum, patebit melius, ſi quam raro ſuccedat, præ oculis habeatur ; vera Medicorum crux eſt ejuſmodi morbi genus ; vix ullis obſequitur remediis ; teſtes ſunt innumeræ mulieres, quæ incaſſum adhibitis quibuſcunque remediis, iiſdem ſemper conflictantur affectibus ; ſi quando ergo quodam ſubleventur remedio, quod fortaſſe certarum partium functiones reſtituendo opem attulit, an ideo aliorum morborum, quibus ſimiliter proderit remedium hoc, natura & cauſa erit omnino eadem ?

Piget profecto hæc opinionum commenta impugnare ; nullius ea poſſunt eſſe uſus in febrium curatione, & Medicinam infamare potius quam illuſtrare poſſunt ; dolendum ſane quidlibet fingendi licentiam quemvis in ſanctiſſima arte ſibi impune arrogare ; nec quoſdam pudere, aut ipſis religioni non eſſe, incerta pro certis venditare : ne quid tamen prætermiſiſſe videar, quædam, quæ majorem veri ſpeciem præ ſe ferunt, quam breviſſime fieri poterit, attingam.

CAP.

CAPUT V.

De eorum ſententia, qui bilem, aut materiam quandam putridam, ut veram febris intermittentis cauſam, incuſarunt.

Mihi propius a vero aut veroſimili aberraſſe videntur, qui ad certa liquida febrium intermittentium cauſam retulerunt; inter eos primo numerandi ſunt antiquiores, qui bilem præcipue incuſarunt, ejus ſcilicet redundantem copiam aut acrimoniam, autumno imprimis, aut variis de cauſis alias ſe exerentem.

Equidem ſi quod liquidum acrius fieri poſſit, maxime bilis; liquet id ex ejus geneſi, quæ quidem ſubobſcura viſa eſt, ſed ex variis phænomenis poteſt innoteſcere; ſit mihi ergo ad eam digredienti venia, quæ eo facilius concedenda quod maximi ſit momenti in febribus recrementum ejuſmodi; videndum autem ſtatim num id ante ipſius ſecretionem in toto corpore lateat? ex quibus conficiatur liquidis? & quid ad illius dotes conferant vaſorum actio & certa colatoria?

In ſanguine per univerſum corpus elaborari flavum hoc magma, & ab aliis tandem liquidis, quibus mixtum eſt, in certis colatoriis ſecedere dici nequit; nec enim corporis ſuperficies, nec internæ partes eo tinguntur in ſtatu naturali, imo & in cute nullum ſæpe flavedinis obſervatur veſtigium, cum omnino indureſcit hepar; in hujus igitur viſceris penetralibus ſit neceſſe eſt bilis officina.

Atqui nec ex adipe, neque ex lympha, vel ex ſero bilem confici probari poteſt; ſaponacea non aſt adeps, cum merum oleum ſit; alba eſt lympha, ſtatim per ſe ipſam concreſcit, nec ſpiritu vini ex ea quidquam extrahitur; ſerum denique, in quod omnes reſolvuntur humores, nil habet, quod mere bilioſum ſit, nec quid tale referunt ſanorum urinæ, licet flavedine imbuantur; pendet color hic ex oleorum ſolutione, ex calore, & vaſorum motu.

In rubra igitur ſanguinis parte proximam eſſe bilis materiam veroſimilius eſt; ſanguis enim, ut bilis, ſaponaceus eſt, cum eo detergantur manus; reſinoſus ſimiliter eſt, cum exſiccatus flammam concipiat, & tincturam in ſpiritu vini præbeat; in putredinem denique valde pronus eſt, & cum ſolvitur aut putreſcit, colorem flavum induit; patet id in ecchymoſi, & in ſanguine ad ignem leniorem putreſcenti.

Jam vero ſanguis ex inteſtinis redux, liquidiori parte in colatoriis relicta, in diſſolutionem propendet, ut in alcaleſcentiam, & putredinem; ſtagnat enim in meſeraicis vaſis, leni fovetur calore, & inteſtinorum putrido inficitur halitu; ſolvitur ergo, aut ejus ſaltem pars quædam, magis ad ſolutionem prædiſpoſita; flaveſcit, aut flaveſcere incipit in ipſo hepate, in quo lentiori procedit greſſu; deinde vero in bilem mutata tubos ſubit biliares; atqui jam ad acredinem vergens, acrior facilius fieri poteſt, immixto febrili miaſmate.

Sed ſi febris intermittentis cauſa ſit bilis, vim quandam peculiarem, eamque inſolitam ſibi ipſa

ad-

adſciſcat neceſſe eſt; nam exundat ſæpiſſime *ano* & *cato* abſque ullo febris intermittentis inſultu; nec vero in eam magis proni ſunt, qui ictero laborant; atqui tamen tunc, ſi uſpiam, debet eſſe noxia; nam in hepate ſtagnat, ſanguinem alioſque humores inficit, partium functiones perturbat, nec uſui ſolito inſervit in ſtomacho & inteſtinis.

His permoti haud dubie nonnulli materiam quandam putridam, humores omnes inficientem, incuſandam eſſe cenſuerunt: inde ortum imprimis duxit eorum opinio, quod in febrifugis antiſepticam vim, eamque inſignem obſervarint; talis eſt, v. g. corticis Peruviani vis, quæ putredini valde adverſa eſt; fatendum tamen quod qui ſolam aut quamcunque incuſarint putredinem, longius omnino quam par eſt proceſſerint; febrem intermittentem non accendunt in genere putrida ingeſta, uti nec ea, quæ in tubo gignuntur inteſtinali; atqui tamen aliquando ita fœtent alvinæ fæces, ut tetro earum odore exanimes aliquando ceciderint ægris adſtantes.

Alia ſunt, quæ idem confirmare poſſunt; ii v. g., qui expurgandis latrinis inſerviunt, febrium intermittentium immunes degunt, aut iis ſaltem non magis quam alii obnoxii ſunt; at ſi ſola vel quæcunque non poſſit incuſari putredo, non idcirco exiſtimandum, eam ad ejuſmodi febres nihil conferre; ejus vim probant evidenter exhalationes, de quibus mox agemus; ſunt loca nimirum, ut dicetur alias, ex quibus exſurgunt putridi halitus, qui per aerem diffuſi, febrilia ſunt ſemina, & ex iis epidemiarum ortus ut plurimum repetendus.

CAPUT VI.

In quo variis probatur argumentis, febrili cauſa per totum corpus diffuſa, hepar imprimis affici.

QUæcunque autem ſit febrium intermittentium cauſa, inquirendum ſupereſt, num in aliqua parte lateat, an vero pet totum corpus diffuſa ſit; probare quidem videntur nonnulla febrilem cauſam per omnes partes veluti ſparſam in eas deſævire; nam in labia aut circa os, cum ſe proripit, videtur erumpere; in iis enim puſtulas excitat, & ſui diſceſſus, cum diffiatur, relinquit veſtigia; id confirmant multa, quæ in certis ægris veluti ex toxico totum corpus inficiente ſe exerere ſolent.

Sed non leviora proſtant argumenta, quibus probatur in aliquo receſſu latere imprimis febrilem cauſam, aut ſaltem aliquam eſſe partem, quæ ea cauſa præcipue afficiatur; liquet id, ut modo dicemus, ex variis febrium intermittentium phænomenis.

Eam partem, in quam recidit præcipue veneni febrilis vis, hepar eſſe, omnia ſuadere videntur; non equidem de eo dici poteſt quod de aliis partibus innuimus; vitia nimirum, quæ in iis per febris decurſum aut poſt mortem obſervantur, morbi diutius exantlati effectus ſunt; at

ipſo

ipſo initio, in frigoris ipſius primo inſultu, aut antequam prodeant ulla febrilia ſymptomata, hepatis ſæpiſſime laborant functiones, læduntur eæ imprimis in febre ipſa, idque certiſſimis probatur argumentis.

Primum idemque graviſſimum ex urinis deſumetur; eæ enim in febribus intermittentibus croceo & lateritio imbuuntur colore, ut in hepaticis affectibus; tanta inſuper bilis copia aliquando in ejuſmodi febribus gignitur, ut emetico exhibito exundare videatur; eo educitur non raro quaſi oleoſum & lentum magma; tantus eſt ejus proventus, ut in plurimis ad vomitoria ſæpius confugere opus ſit; omnia videlicet in bilem varii generis abire videntur, nec niſi ea educta poteſt curari febris.

Quod autem inde conſequi neceſſe eſt, vultus plerumque flavedine quadam ſuffunditur; intenſior fit flavedo hæc in eis, qui male curantur, ita ut tandem vero laborent ictero; niſi autem ſublatum fuerit id vitium, ut quis febre defungatur exſpectandum non eſt; certum eſt ſaltem, eam, ſi forte deſierit, in limine eſſe: in iis denique, qui ejuſmodi febre ſublati ſunt, ineſt ſemper aliqua hepatis labes; non poteſt ergo dubitari quin præcipue in hoc morbo afficiatur pars hæc, in eaque lateat mali fomes.

Ego quidem hæc jamdiu ſuſpicatus eorum rationem cœpi inquirere, diffidens tamen propriis opinionibus, uti & alienis; exiſtimabam ſcilicet ad febrim inducendam nihil aliud requiri quam ſanguinis in quandam partem affluentis ſtagnationem,

nem; maxime autem ad eam opportunum videbatur venæ portæ ſyſtema; ſi enim ea ejuſque rami turgeant, hinc neceſſario ſtimulus in hepatis textum ſe exerens; inſurget ergo nervorum & arteriarum vis, id eſt febrilis motus; atqui eo inſurgente progredietur ſanguis antea ſtagnans; inde autem mitior fiet aut tolletur quæ febrem inducebat irritatio.

En ergo cauſas, quibus accenditur febris, & poſtea ſubigitur, ita ut tandem evaneſcat; nihil proinde reliquum erat, niſi ut inquirerem quare ſtatis reverteretur horis; atqui ad eam iterum exſuſcitandam neceſſe videbatur tantummodo ut ſanguinis nimia adhuc & turgens copia, tanquam morbi ſeminium, remaneret, atque ut ſenſim ea deinde increſceret, & ita paroxyſmis reducendis apta eſſet.

Favere videbantur huic opinioni exempla quædam, quæ mihi magni videbantur momenti; unum tantummodo ſeligam, quod omnium inſtar eſſe poterit; erat Vir celeberrimus, qui, quoties balneo immergebatur, frigore, eoque ſatis intenſo, corripi ſolebat, ſuccedebat deinde calor, qui tandem abſque magna ſudoris vi evaneſcebat; quod quidem magis erat mirum, poſtridie eadem præciſe hora invadebat frigus & inſurgebat calor; pergebant hæc ſimili ratione per aliquot dies, & tandem temporis lapſu ſenſim ſe ſubducebant: atqui inde ſequi videtur, ſola circuitus mutatione exſuſcitari poſſe febris intermittentis ſpeciem; nulla erat cauſa morbifica, quæ incuſari poſſet; bene antea ſe habebant omnia; ſi autem ſolummodo

modo mutatus ſit circuitus, id eſt ſi congeſtio quædam exorta ſit, quænam pars magis huic apta eſt quam vena porta & hepar, in cujus textu diſſeminantur hujus venæ rami?

At hæc omnia nihilominus *hypotheſim* redolent; dubium profecto non eſt quin ſtagnet ſanguis in vena porta ejuſque propaginibus; ſed unde hæc ſtagnatio? quomodo ex ea deduci poterit tam peculiaris morbus, febris nimirum intermittens? quare ii, qui in hepatitidem incidunt, ejuſmodi non experiuntur febrim? qui fieri poteſt ut hypochondriaci non magis quam alii huic morho obnoxii ſint? quid denique ictericos aut hepatis obſtructionibus laborantes ab ea immunes præſtabit? requiritur ergo alia cauſa huic parti imprimis adverſa, quæ frigus, calorem, & apurexiam efficiat, & per circuitus periodicos poſſit reducere.

In re autem tam intricata vix dicere licet quid ut vera cauſa adduci poſſit; certum tantummodo videtur, in corpore gigni, aut aliunde advehi materiem quandam, quæ febres intermittentes exſuſcitet; patet id ex miaſmatibus, ex quibus ſæpiſſime, ut poſtea dicemus, pendet earum exortus; liquet idem ex eo quod hac & illac in diverſas partes dejiciatur ſæpius ipſarum vis, nec congeſtioni vel obſtructioni, ſolummodo, aut alii cuicunque & ſoli partium vitio tribui poſſit.

At quomodo venenata hæc materies, per totum corpus diffuſa & hepati æque infeſta colligatur, aut vires acquirat? quomodo velut impetu facto inſurgat ejus vis, & paulatim defervens

dif-

diffletur, & evaneſcat? quomodo denique remaneat fomes, qui fermenti inſtar, humores inficiat, atque iterum iterumque alternis eaſdem cieat turbas? id profecto ſtatuere non licet, niſi cum omnia febris ſymptomata, ejuſque effectus luſtraverimus: parum interim curandum de theoreticis diſquiſitionibus, quæ mentem a vera praxis via avertunt, & in errorem ſolent inducere.

CAPUT VII.

De cauſis remotis.

REmotas cauſas enumerare facilius eſt, quam quid efficiant dignoſcere; & primo quidem, ut jam diximus, quæ intermittunt febres variarum tempeſtatum fœtus ſunt: nec tamen dici poteſt quid temporum mutationes ad eas potius quam ad alios morbos conferant; obſervatione tantum didicimus, quod ex tali aut alia aeris temperie, certi in corporibus excitentur motus, certi, inquam, non perpetui, nec iidem in omni animantium genere; canes v. g. equi, & boves intermittentibus febribus non ita obnoxii ſunt, aut ſaltem non niſi raro admodum ejuſmodi laborant morbis.

Humana e contra corpora in eos valde ſunt prona; vix quemquam in certis regionibus reperire eſt, qui febre intermittenti non laboraverit; incidit hæc in puerilem, in adultam, & ſenilem ætatem;

tem; vere imprimis, & gravius autumno graſſatur; non quod nulli ſint, qui per ſummum frigus, aut per ſummum calorem ejuſmodi corripiantur febri, ſed tunc rarius omnino ſolent occurrere; in univerſum frigoris & caloris continua & ſumma vis diverſos omnino & pauciores gignit morbos.

Ut certis temporibus, ita certis locis graſſantur febres intermittentes: qui paludum viciniam incolunt, his febribus imprimis obnoxii ſunt; ſæviunt eæ v. g. in Septentrionalibus Galliæ plagis, miſerandam earum ſtragem experti ſunt aliquando Galli, dum ad Batavorum littora admoveretur exercitus; ea erat illarum febrium natura, ut, cum per certum tempus excurriſſent, vix curationem reciperent; corpora etiam validiſſima, morbi vi labefactata, ipſius reliquias per varias traxerunt regiones.

Ex ſalo exhalantibus corpuſculis oritur morbus hic, unde in iis quid videtur ineſſe quod ex muriatica aqua prodeat; ſed alterius generis exhalationes non minus noxiæ ſunt; erat ad magnæ Urbis mœnia ſtagnum latiſſimum, profundumque; in illud a quadraginta annis omnia domorum & vicorum confluebant purgamenta; quandiu vero putridæ hæ fæces aqua immerſæ latuerunt, nil mali inde prodiit: ſed cum in molem auctæ ad aquæ ſuperficiem ſe extuliſſent, ſæviit horrenda febris per vicina urbis loca, & deinde latius ſe diffudit; tanta fuit ejus vis, ut cum quadringenti tantummodo aliis temporibus quolibet anno efferrentur, duo hominum millia tunc interciderent.

Erat

Erat hoc peculiare his exhalationibus, quod qui prope lacum degerent, ne per tres horas quidem, carnes poterant aſſervare; eæ, ut ſæpius vidi, ſtatim ferme putreſcere ſolebant, omniſque culinaria ſuppellex cruſta quadam brevi obducebatur; ideo fortaſſe alterius generis erat febris hæc; erat ſcilicet mali moris, capitiſque varios inducebat affectus; quod quidem in febribus ad maritimas Galliæ oras graſſantibus non ita obſervavi; in graviores enim ut plurimum abire ſolebant viſcerum obſtructiones.

Variam omnino eſſe poſſe in corpus humanum miasmatum aut exhalationum vim ex multis liquet obſervationibus; cum graſſaretur peſtilens boum lues, hac & illac ſparſa jacebant eorum cadavera, aut vix ſuperinjecta obtegebantur terra; inde putris halitus vicina infecit loca; & gangrænodes febris, quæ intermittentem referebat typum, exorta eſt; ſtatim autem pulſus erat magnus & validus; brevi tamen, idque imprimis ſi tentaretur venæ ſectio, concidere ſolebat; frigidæ tandem rigebant extremæ partes; os vultumque obſidebat gangræna; nec alio remedio niſi cortice Peruviano hæc præcaveri vel averti poterant.

Non æque deleterias quidem nec ejuſdem proſapiæ eſſe obſervavi eas febres, quæ ex ingeſta & putreſcenti piſcium carne ortum trahunt; his obnoxii ſunt ruſtici & piſcatores paludoſa loca incolentes, qui ea carne veſci ſolent; eæ autem non intermittunt ut plurimum, ſed continuo incedunt greſſu, ſeu potius veræ ſunt continuæ; ejuſmodi etiam videntur eſſe quæ Anatomicos,

pu-

putridis cadaveribus ſecandis incumbentes, corripiunt, & ſummum quandoque vitæ inducunt diſcrimen. At putredo, imprimis quæ ex aquis ſtagnantibus & uliginoſis oritur, febribus intermittentibus progignendis aptior eſt; ſunt eæ endemiæ in quibuſdam regionibus Occitaniæ; ex viginti incolis vix duos reperias, qui eas non experiantur; frequentiores tamen ſunt illæ & graviores per autumnum; vultus inducunt flavedinem, tumores œdematoſos, & viſcerum obſtructiones.

Si moveantur paludoſæ aquæ, gravius inficiuntur hac putredine vicina loca; eſt pagus, in quo ſæviunt febres ex ejuſmodi cauſa oriundæ; graſſantur eæ imprimis cum quibuſdam ventis perflantur ſtagna; quæ tunc deferuntur miaſmata in eum locum ita noxia ſunt, ut poſt duos treſve dies, aut aliquando citius, recidant in febrem qui ea defuncti fuerant; multi præterea, antea intacti, ea corripiuntur.

Putredo interim ejuſmodi, aere devecta, certis annis deleterior obſervatur; eſt enim ubi mali moris ſymptomata inde exoriantur, eaque magnam ſtragem inferre ſoleant. Alga v. g., quæ in Mediterranei maris littus certis locis dejicitur, in ejuſmodi deleteriam putredinem prona eſt; ibi veluti peſtilenti afflatu inficiuntur corpora; inſurgunt continuæ & malignæ febres, quæ brevi ægros in ultimum adducunt diſcrimen.

Inde profecto elucet, eſſe in epidemiis quid per aera vagans, & e ſinu terræ prodiens, quod febres intermittentes potius quam alios morbos in-

fe-

ferat: hoc autem miaſma, quod corporis intima ſubingreditur, cauſa fit proxima; at cujus generis ſit aut naturæ, dijudicare arduum eſt: hoc tantum ex obſervatis liquet, gigni poſſe ſimilem cauſam in corporibus, ipſamque ex ingeſtis aliquando ortum trahere; ea tamen ut certam febrium intermittentium cauſam incuſare non licet; nam cum quis v. g. poſt errata in victu febri laborat ejuſmodi, potuit in eam pronus eſſe; potuit & ante latere miaſma quoddam ex conſtitutione temporis prodiens; rem ita ſe habere in caſtris v. g. dubium non eſt; ſi enim victus ſit pravus, glutinoſus v. g. ut ex fabis, auſterus ut ex fructibus nondum maturitatem adeptis, tunc facilis omnino, autumnali imprimis tempore, in febrim intermittentem prolapſus.

De his perinde ſe res habet, ac de aliis cauſis occaſionalibus, de decubitu v. g. in loca humidiora, de aere frigidiori, de exercitio nimio ac labore, de animi pathematis, ut ira & triſtitia, de vigiliis protractis, de excalefacientium medicamentorum uſu; his omnibus, ut cuique notum, ſuccedunt ſæpiſſime febres, non ut ex veris propriiſque cauſis, ſed cauſas proximas excitantibus: corpus nempe jam prædiſpoſitum in febrilem propendebat motum; tunc levi de cauſa, veluti ignem concipiunt ſolida & liquida; de hoc extinguendo igne ſollicita eſt Medicina; at non inutile fortaſſe eſſet arcanum, quod ejuſmodi excandeſcentiam concitare, ſeu febrim intermittentem inferre poſſet.

CAP.

CAPUT VIII.

De frigore febrili.

FEbrili cauſa inſurgente oritur ſtatim frigoris ſenſus, qui triplici modo ſe exerit, refrigeratione nimirum, horrore & rigore; refrigeratio ſimplex ab ægris nonnunquam percipitur; ſed alias levis ſubituſque fit fremitus, qui horror dicitur; ſi vero acrius urgeat, concitatur rigor, concuſſio ſcilicet, qua ſubſultim rigeſcunt & contremiſcunt membra; unde patet, quod tria hæc nonniſi intenſione diſtent & remiſſione.

Frigus morbis acutis, & febri intermittenti commune eſt: ſed in febribus continuis longe alius eſt ipſius inceſſus, aliaque vis: ſunt equidem nonnullæ, quæ mali ſunt moris, & quæ intenſum inducunt frigus, illudque omnino infeſtum; at in genere nec tandiu, nec tam graviter aut eodem modo urgere ſolet; unde ſtatim occurrit ſignum, quo futura prævidere, febris nimirum impendentis naturam definire, eamque ab aliis, antequam calor inſurgat, diſtinguere liceat: præterquam etenim in febribus continuis, frigus nuſquam tam acriter aut tandiu urgere ſolet, ſtatui in univerſum poteſt, eas, quæ ſummo cum rigore incipiunt, ex earum eſſe numero,

quæ certos habeant alternoſque circuitus.

Vel ipſum primum febris intermittentis paroxyſmum ab ephemera licet eodem ſigno diſtinguere: in ea enim non eſt rigor & horror utplurimum; præterea longior eſſe ſolet decurſus ipſius, ita ut ſi abſit capitis dolor, non urgeat, ſi non vigeant per totum corpus dolores, ſi illæſa omnino procedat reſpiratio, ſi denique præter febrim nullum patiatur æger incommodum, ſimulque duodecimam horam prætergrediatur paroxyſmus, tunc profecto, quin adſit ephemera vix dubitari poteſt; id vero magis certo aſſerere licebit, ſi defervescente æſtu, ſeu vi febrili ſedimentum dejiciant urinæ.

Sed ſunt alia, quibus ejuſmodi febris ingenium dignoſci poſſit; & primo quidem, ut ex antedictis ſequitur, & inquit *Galenus*, ephemeram facile ferunt ægri, quod juxta eum mitioris omnino morbi ſignum eſt; deinde vero deſinente ea, arteriarum motus ſtatim ſanorum æmulatur pulſum, cum in alia quacunque a naturali recedat inceſſu: licet v. g. in tertianis & quartanis longe diſtent paroxyſmi, remanet inter eos priſtini tumultus quoddam indicium; ſuperſtes eſt præterea laſſitudo & debilitas, tum quandoque capitis dolor; cum poſt ephemeram vegeta ſint omnino corpora, nullumque dolorem experiantur; fatendum tamen, licet hæc vera ſint, poſſe nonnunquam errori eſſe locum; ſed de his ſatis ſuperque; videndum jam unde deduci poſſit febrile frigus.

Non alii profecto cauſæ immediatæ quam ner-

vis

vis quadam occulta causa in motum actis tribui potest ejusmodi affectus: objiciet equidem fortasse aliquis hic nos ex iis repetere quæ jamjam eisdem deneganda censuimus; videtur nimirum iis, quæ modo diximus incusari febrium intermittentium causam aliquam, in ejusmodi organis latentem; at longe omnino abest a sententia nostra incusatio hæc; causa febrilis, primigenia, propria, seu essentialis, est miasma quoddam peculiare; ejus vero se exerente vi stimulari nervos, & in eis varios cieri motus, non immerito statuimus; in febre intermittenti nimirum, perinde atque in aliis morbis, se res habet; insurgunt eorum causæ in spiritum nerveum, ita ut ex irritatione ab iis inducta solummodo deduci possint universa symptomata; ipsa febris in genere, quam definire tam arduum videtur, nil aliud est nisi irritatio universalis, irritatio, inquam, quæ ut plurimum sensu non percipitur; atqui talem esse causam, quæ febrilem efficit algorem, & jure quidem statui potest; is omnino spasmodicus est, nec vere friget, saltem aliquando, exhorrescens corpus, ut thermometrum admovendo, exploranti mihi comprobatum est; quod non minus certum est, idem ori immissum nil de calore interno detractum esse ostendit.

Quod ad spasimum referri possit hæc frigoris species, patet ex variis exemplis in praxi occurrentibus; sola v. g. calculi biliaris in canalem choledochum actio, soluve irritans motus intensissimum frigus per omnes partes solet diffundere; idem concitatum vidi solo cathetere vesicam

attingenti, imo & clyſtere in inteſtinum hæmorrhoidibus excruciatum injecto; ſimilis exſurgit perfrigeratio ex viſcere quodam ſubito affecto, ex inteſtinorum v. g. ſtrangulatione ſola; ſuppuratio idem præſtare ſolet, ut cuique notum eſt; vidi militem, qui ex hepatis abſceſſu, ad mortem uſque per duos dies obriguit: non eſt ergo dubium, quin ex ſtimulo parti cuidam infixo, & ſpaſmum ciente, concitari poſſit frigus in febribus intermittentibus.

Hujus frigoris invaſionem præcedere ſolent varia, aut quædam ex ſequentibus phænomena, & primo quidem cephalalgia, aliqua totius corporis laſſitudo & gravitas, oculorum coruſcatio, anxietatis ſenſus, oſcitatio, & pandiculatio, pallor, & in ſomnum aliquando proclivitas; deinde autem varie præludit aut incipit frigus, modo ſcilicet e pedibus, modo ex ſcapulis, modo ex dorſo videtur inſurgere, per totum corpus vagari, & variis quaſi rivulis hac & illac inordinate excurrentibus ſe ſe diffundere; hinc horripilationes, horrores, rigores varii, veluti aqua frigida perfunderentur membra.

Interea ſæpiſſime tanti ſunt horrores & rigores, ut in tremorem faceſſant continuum; contremiſcunt manus, brachia & cætera membra; tremula eſt imprimis maxilla inferior, quæ aliquando celerrimo alternoque rapitur motu, idque tanta vi, ut collidantur dentes magno cum ſtrepitu, fractique in nonnullis commemorentur; videtur omnino convulſivus motus hic; tantus eſt ſaltem ejuſmodi repetitus conatus, ut nullo modo cohi-

beri

beri queat, licet ſumma vi in eum nitantur ægri; ita vero exagitati his concuſſionibus ſedili nequaquam ſtare poſſunt; coguntur neceſſario decumbere, & membra veluti glomerare, atque alia aliis admovere & comprimere.

At ſæpe non omnes partes æque aggreditur frigus; vidi aliquando partes infernas frigentes, ſupernis calore exuſtis; memoratur æger, cui unum frigeret latus, dum aliud caleret; occurrit mihi quidam febri laborans, cui brachium tantummodo eſſet algidum; ſunt alia non minus rara, ex quibus liquet arcanas eſſe cauſas, quæ varie frigus infringant, aut promoveant, variamque ipſi faciem inducant: ſed cum hæc infrequentia ſint, his non immorari licet; artis non ſunt quæ a communi recedunt naturæ ductu, hæc præterea in nothis potius aut larvatis febribus, quam in veris intermittentium inſultibus obſervari ſolent.

Varie excurrit frigus hoc, intermittentes antecedens febres; varius ſcilicet eſt ejus gradus, nunc enim leve, alias vero ſummum, partes extremas imprimis obſidet, & raro internas attingit, aut in iis percipitur; diverſum ſcilicet eſſe ſolet pro febris natura & pro infeſtis ejus viribus; varie etiam ægros afficit, pro ipſorum ætate aut temperie; longe major & periculoſior eſt ejus vis in ſenes & cacochymos, quam in juvenes aut virium robore præſtantes; interea longior aut brevior eſt ejus decurſus, modo per duas aut per tres ſævit horas, aliquando vero ad quatuor, imo quinque protractum vidi.

Cum autem longius protrahitur, non exiſti-

mandum ſemper graviorem portendi paroxyſmum; in genere quidem quo gravius invaſit frigus, eo acrior inſurgit febrilis æſtus & vis; at ſæpiſſime obſervavi, quod cum brevi temporis ſpatio exhorruiſſent ægri, in plures horas excurreret paroxyſmus, iſque intenſiſſimus; e contra vero poſt longum frigus, brevem febris acceſſionem, eamque leviorem miratus ſum.

Nec in omnibus quidem ejuſdem febris paroxyſmis æque infeſtum eſt frigus; hujus aliquando ægri nullum ferme percipiunt ſenſum, quando in diuturnitatem abeunt febres; non minus abeſt, aut minus leve eſt in quibuſdam ex iis recens exortis; ſunt ſcilicet nonnullæ, quæ prima tantum vice, aut duobus tribuſve inſequentibus paroxyſmis a frigore incipiunt; nulla dein aut levi tantum refrigeratione eorum prænunciatur adventus; at in genuinis intermittentibus, niſi forte lapſu temporis aliquanto degeneres fuerint, id ita non ſe habet, nec tantopere a ſolita recedunt norma.

Cum ita protrahuntur paroxyſmi, ut ii ab invicem parum diſtent, minus conſpicuum ut plurimum frigus eſt; in ipſis tertianis nothis, ſive *extenſis*, ut verbis *Galeni* utar, qualis in exquiſitis non obſervatur rigor; ab horrore potius fit initium, vel ſolummodo algent ægri; at non ſolum in iis febribus occurrit ejuſmodi varietas, prodire ſæpius & in aliis ſolet; earum enim initio in pedibus ſolis nonnunquam ſe exerit frigoris vis; ſed eſt ubi nequaquam ab ægris advertatur; nihil ſcilicet in febribus, uti & in reliquis naturæ motibus perpetuum eſt; aliæ quo

inceperunt greſſu non incedunt, aliæ vero ab aliarum licet ſimilium more aberrant: ſi quædam ſint quæ ab algore incipientes eo deinde careant, evenit aliquando, ut a calore intenſiori fieret initium, dein vero poſt quinque aut ſex paroxyſmos algor ſtatim, poſtea vero rigor ſequentibus præmitteretur.

Hæc quidem de intermittenti ſimplici, de tertiana ſcilicet & quartana, dicta ſunto; in iſta interim, non omnino eadem eſt frigoris ratio; levius quidem in nonuullis ægris, in pleriſque tamen gravius, & longius protractum, imo in multis graviſſimum ſenioribuſque formidandum obſervatur; initio imprimis ei major ineſt vis, deinde, ſaltem per certum tempus, ſolet miteſcere & breviori circumſcribitur temporis ſpatio.

Quod vero duplicem tertianam ſpectat, frigent quidem ægri paroxyſmorum initio; ſed id perpetuum non eſt; nam eſt ubi abſit quæcumque refrigeratio, aut leviſſimus ſaltem eſt ejus ſenſus, ita ut ab ægris vix percipi poſſit; quod vero magis inſolens eſt, alternis diebus aliquando ſe exerit hæc febrilis refrigeratio, ita ut antecedens & ſubſequens paroxyſmus ejus omnino expertes ſint; occurrit idem in tertiana continua & remittente, ſed raro admodum.

Quoties ſcilicet exoriuntur ejuſmodi febres continuo greſſu progredientes, leviſque tantum breviorque intercedit remiſſio, eæ nullo præeunte frigore ſolent exacerbari; id tantum ſe prodit, cum mitior fit febrilis vis; negari tamen nequit, quin aliter quandoque res procedat, inſurgit ſcilicet in

continuo ejus decurſu veluti frigidior aura, paroxyſmos denuncians. Sed de his ſatis ſuperque; videndum ſupereſt quid variam hancce comitetur aut ſequatur refrigerationem.

CAPUT IX.

Quinam ſint frigoris febrilis effectus.

EX frigore intermittentis febris aliarumque prænuncio, multa, in œconomiam animalem, huic plus minuſve adverſa, recidunt; & primo quidem conſtringitur univerſa corporis ſuperficies, cutis plus minuſve rugoſa fit & tuberculis hiſpida, ut in gallinis & anſeribus; non exhalant ergo ex ea, quibus ante madebat, liquida; venæ per ipſam reptantes & turgidæ jam inanitæ evaneſcunt, aut vix oculis patent.

Perinde ſe res habet in internis partibus; conſtringuntur nimirum earum ſtamina & breviora fiunt, nec id alii cauſæ quam ſpaſmodicis ipſorum motibus, ſive nervis in ea agentibus tribui poteſt; conſpicua eſt præcipue eorum actio, cum urgente febrili frigore tetra exſurgunt ſymptomata, ſpaſmi ſcilicet & convulſivi motus; non minus ea ſe prodit cum arteriæ latius antea ſe diffundentes & expanſæ jam undequaque contrahuntur, & in arctius coguntur ſpatium.

Inde autem pulſus parvus & frequens; incipit ſcilicet deprimi ante ipſum frigus, tardiuſque in-

ce-

cedere; poſtea autem celeriori & inconſtanti greſſu ferri ſolet, idque imprimis in ſenioribus; in iis enim ſæpe tremulus & inæqualis occurrit; in junioribus autem ut plurimum nec ita depreſſus, aut incertus eſſe ſolet; ſed de his alias agemus.

Ex hac arteriarum contractione ſequitur pallor, qui in ipſis unguibus, in labiis, in vultu, & reliquis ſe prodit corporis partibus; livor etiam ad hæc ſæpe accedit; imo vidi mulierem, cui in febrili frigore, naſus cæruleo ſuffunderetur colore; aliquando etiam maculis fuſco-cæruleis interſtincta apparet cutis; ſanguis enim ex arteriis egreſſus, in primis venarum reticulis colligitur; patet id ex injectionibus, quæ puncticula, & veluti petechias aliquando efficiunt.

Sed ſi in ejuſmodi reticulis hæreat ſanguis, non mirum ſi in majoribus venis colligatur; eo imprimis obruitur vena cava; auricula dextra, ventriculusque ejus ſimul turgent; inde vero minima cordis contractio, & minimus tantum ejus parietum a ſe invicem receſſus; hinc etiam eorumdem veluti convulſivus motus, & aliquando palpitatio in febrili frigore; eam acriter urgentem experiuntur nonnulli, hinc denique anxietas ſumma, & nonnunquam ſyncope, quæ in certis ægris febrim ſolet antecedere.

Quin autem colligatur ſanguis in cavis cardiacis, in iiſque veluti in prælo hæreat, ex obſervatis dubium eſſe nequit; quod vero cauſam ſpectat, videtur ſtatim quod frigoris vi depulſus ab externis partibus ſanguis in interna retroagatur;

de-

deinde vero variis partium ſuccuſſionibus verſus majores venas agitur; progredi denique omnino nequit per textum pulmonum; unde neceſſario, & in arteria pulmonali, & in ventriculo dextro, ejuſque auricula, coacervatur magna liquidi hujus copia.

Quæ autem ſanguinis in pulmone inducunt ſtagnationem, ex multis pendent; & primo quidem, quia ejus ut & cæterarum partium contrahitur textus, objicitur ergo continuus obex appellenti ex corde ſanguini, unde in vaſis pneumonicis colligatur neceſſe eſt; patebit id evidentiſſime, ſi reſpirationis per frigus febrile ſpectetur inceſſus; repetitis enim ſuccuſſionibus fiunt inſpirationes; quoties autem non poſſunt rite expandi veſiculæ pulmonales, difficilius inter eas progrediuntur liquida, & neceſſario in vaſis ſuis coacervantur; hinc veluti ſuffocationem & anxietatem intolerabilem experiuntur nonnulli; ideoque de præcordiorum diſtenſione querelas apud nonnullos audire eſt; non mirum ergo, ſi poſt mortem ſanguine nigro & polypoſo turgentes inveniantur pulmones, & ſi in frigore febrili moriantur ægri.

Inde pendere variorum ægrorum fatum ex obſervatione & ex corporum ſectionibus, ut poſtea dicam, didici; idemque magni *Harvei* confirmatur auctoritate; *In tertianæ febris, inquit, principio, morbifica cauſa cor petens, circa cor & pulmones quando immoratur, anheloſos, ſuſpirioſos, & ignavos facit; quia principium aggravatur vitale, & ſanguis in pulmones impingitur, incraſſatur,*

tur, non tranſit (hoc ego ex diſſectione illorum, qui in principio acceſſionis mortui ſunt, expertus loquor), tunc ſemper pulſus frequentes, parvi & quandoque inordinati ſunt &c.

Non magis mirum videri debet, ſi viſceribus ſanguine turgidis exſuſcitetur calor interna urens, & ſi eum in viſceribus accendi querantur ægri, dum externæ frigeſcunt partes; rigentibus brachiis aut pedibus per hiemem, idem viget ut plurimum caloris gradus ſub axillis, & in inguinibus; perinde autem ſe res habet in febrili frigore; imo perfrigerata ſub febris adventum corporis ſuperficie, intenſior fit motus in viſceribus, unde ſit in iis æſtus major neceſſe eſt.

Dignoſci poſſe videtur ex ſiti intenſa, quantus ſit ejuſmodi calor; ſævit ea imprimis cum æſtate exæſtuant viſcera; tunc autem, ut ſicciores ſunt fauces, ita ſicciorem eſſe œſophagi & ventriculi ipſius ſuperficiem conjicere licet; ſed non minus certum eſt, abſque intenſiori caloris gradu, ſæpe urgere ſitim; hanc concitat acriorum ingeſtorum vis, eaque ſaburra, quæ in primis ſtabulatur viis; poteſt v. g. in iis hærere bilis, cujus natura in febribus omnino depravari & acrior fieri ſolet. Memini me obſervaſſe in fœmina ob hepatis vitium decumbenti, quod præter modum ſitibunda eſſet, cum in ſtomachum influeret bilioſi magmatis copia.

Sed ea eſt animantium natura, ut multiplices ſint ægritudinum fontes, dum pauca aliquando aut nulla occurrunt remedia; non ex iis ſolum, quæ jam innuimus, pendet ſitis, poteſt & ipſa ſpaſmo-

ſmorum vi aut irritatione concitari; patet id evidenter in operationibus chirurgicis; ſuccedit iis ut plurimum oris ſiccitas, & ſitibundi ſunt ægri; atqui in frigore febrili, quod imprimis ex ſpaſmodico oritur motu, ſimile quid contingat neceſſe eſt.

Subeſt haud dubie quædam ejuſmodi cauſa in ſitibundis & alioquin bene ſe habentibus; urget nonnunquam potus inexplebile deſiderium; id vero nonniſi bilis aut liquidorum ex ſtomachi parietibus exſtillantium acrimoniæ tribui poteſt; inde aut aliis ex cauſis digeſtionis vitia; alimentorum ſucci rancidi & urentes fiunt; quod quidem non tam refrigerantia indicari medicamenta, quam alterantia aut immutantia evidenter patet.

Confirmantur hæc omnia vomitu & nauſea, quibus vexantur ægri in frigore febrili; ſi in iis valde commoveatur ſtomachus, ejiciunt quidem, initio febrium imprimis, aut ſaltem in multis, magnam bilis, alias tenacioris, alias liquidioris copiam; imo fœtidum eſſe id magma aliquando obſervavi; at licet multum poſſit cauſa hæc, ſubeſt alia non minoris momenti; vexatur nimirum variis motibus hepar, uti innuimus; exſurgunt in præcordiis ſpaſmi, qui ex ſanguinis ſtagnatione & irritatione inde orta deduci debent; nec quidem ad ſubvertendum ſtomachum huic proxima ſit febrium cauſa neceſſe eſt; morbi ab eo diſſiti, uteri affectus v. g. vomitum concitant aliquando pertinacem, eumque accerrimum; pendet is ex nervis, ſeu ex arcano partium conſenſu.

Varius quidem eſt febrilis vomitus aut vomendi

di conatus; primis in inſultibus ut plurimum ſe exerit, & in graviore febri gravior eſt; ideoque in vernali parcius ſævit atque in autumnali; at ea ipſa tempeſtate, aut non prodit in multis, vel poſt certum tempus miteſcit, imo & utplurimum plane deſinit, ita ut ſolum frigus experiantur ægri; nec profecto quidquam levaminis ab hac ſtomachi quacunque ſubverſione exſpectare licet; morboſa plane eſt; & licet copioſa, amurcoſa & putrida rejiciantur, remanent ſemper fæces emetico medicamento expurgandæ.

Ut autem ſitis non ſtatim cum frigore præſto adeſt, ita nec vomendi conatus; non niſi poſt certum tempus in genere laborare incipit ſtomachus; hunc tamen in nonnullis everſum obſervavi ante ullum algoris veſtigium; interea in ejuſmodi labore non eodem modo afficitur; eſt ubi nauſeet tantummodo, nec contenta niſi injecto potu rejiciat; ſed alias ita impeti ſolet, ut ſive turgeat, ſive ſumma ſit bilis acrimonia, validus excitetur ſpaſmus; tunc autem ſubvertitur univerſæ œconomiæ animalis officina; quin etiam quandoque demittitur alvus; idque præcipue verſus illud tempus, quo deſinit conſtrictio frigore inducta & ſe exerit calor; tunc etiam in quibuſdam ſubvertitur ventriculus & ejicitur *cacoſtomachon*, unde non parum levaminis; ſunt ergo, ut diximus, hæc admodum varia, & modo levius, modo gravius inſurgunt; aliquando tanta fuit veneni febrilis vis, ut veluti choleram morbum in rigentibus ægris exortum viderim.

Cum autem frigoris vi exſuſcitetur nervorum

actio

actio in ſtomachum, & conſtringantur inteſtina, non mirum ſi vellicentur & diſtrahantur omnium partium fibræ; ideo ſcilicet, accedente aut vigente frigore febrili, toties diſſeminantur dolores varii per univerſum corpus; alias dolent articuli, ipſorumque membrorum tractus, ita ut rheumatiſmo laborare videantur; alias intolerabiles exſurgunt cruciatus in cruribus & lumbis, veluti ferro lacerarentur; in genere tamen dolores vagi frequentiores ſunt, & ut plurimum veluti aciculis sibi pungi videntur ægri per univerſam cutim aut per certa ejus loca; hinc non mirum si quandoque multa patiantur internæ partes, & viſcera imprimis abdominis; nonnulli tanquam de terebra ſtomachum erodente, aut cultro acute pungente conqueſti ſunt; ſed id magis familiare in iis febribus, quæ inordinate procedunt, a ſolita norma degeneres.

Licet interea per frigus febrile excitentur dolores, id cum valde ſævit, ſenſum obtundit; si infligatur leve vulnus, aliquando nullus percipitur dolor; imo fuere, qui admotis igni pedibus, e uri ſe non animadverterint; ob eandem cauſam purgantium vis irrita eſt, ſi per tempus quo rigent ægri, aut non multo ante, exhibita fuerint; conſtringuntur enim partium ſtamina urgente frigore; ſanguis, & ipſe vitalis ſpiritus per vias ſolitas excurrere nequeunt; deeſt ergo motus, qui ſenſus principium eſt, aut conditio, sine qua cadunt aut languent omnia.

Ita autem aliquando afficiuntur ſenſus organa, ut in quadam parte extinguatur vitalis ſpiritus; labo-

borabat febri intermittenti vir nobilis; cum vero inſtarent paroxyſmi, accerrimum experiebatur frigus; unde in horrore & rigore ſummum portendi videbatur periculum; non pulmoni tamen aut regioni cardiacæ, ut ſolet, impendebat; in nates ſolas recidit tota algoris mortifera vis; eo enim ſublata omnis ſentiendi facultas, etsi profunde ad oſſa uſque adigeretur cultrum, de nullo dolore querebatur æger; en ergo gangrænæ ſpeciem, ab aliis omnino diverſam; ſubito ſcilicet invasit, nec caloris mutationem ullam in carnes intulit.

Inde patet quænam exoriantur turbæ in omnium partium functionibus; ſed quaſdam tantum hic attingemus earum læsiones; cerebrum ipſum v. g. aliquando impetitur; ſunt ſcilicet qui adventante frigore ſomno urgentur; imo tantus eſt ſopor, ut verum videatur coma; vix poterat excitari ægra quædam, & si excitaretur, ſtatim in ejuſmodi ſomnum delapſa veluti abſque ſenſu jacebat; in homine triginta annorum gravior prodibat affectus, vera nimirum anaiſthesia; mortuum primo adſpectu dixiſſes hunc ægrum, & tamen inſurgente caloris vi ſui juris fiebat, & vitæ reſtitui videbatur.

Inde autem patet quam facile mens poſſit affici; ſunt nonnunquam qui cum algere incipiunt delirio corripiantur; occurrit mihi fœmina, quæ ſub paroxyſmi adventum loquax omnino fiebat, nec alio signo de imminente febri monebantur adſtantes; levis dein ſe exerebat refrigeratio. Vidi Medicum ingenio præſtantem & verborum parciſ-

ciſſimum, qui ante frigoris febrilis inſultum garrire similiter incipiebat, & in eos, qui cum ipſo contenderent, acriter invehi ſolebat, iraſcenti omnino similis.

Ad hæc omnia accedit deinde ſecretionum perturbatio; tranſpirationi objiciuntur undequaque impedimenta; urinæ colorem exuunt, tenujores ſunt, parcæ & aqueæ; conſtrictis namque nervorum actione tubis renalibus, effluunt tantummodo quæ liquidiora ſunt; cum præterea neceſſario imminuatur vaſculorum vis, craſſiora a ſanguine rubro disjungi nequeunt, nec per anguſtiores vias ſecedere; unde remaneant in ſuis colatoriis, aut alio deferantur neceſſe eſt.

CAPUT X.

De calore & ſudore febrili.

POſtquam per certum tempus decurrit frigus, incipit miteſcere, illudque excipit calor, qui per extremas ſenſim diffunditur partes, & varius omnino eſſe ſolet; intenſior eſt nimirum, ſi impenſe inhorruerint ægri; cum autem ad certum aſcendit gradum, fauces exurit ſitis, adeſt oris & cutis ſiccitas, urget cephalalgia, graviores inſurgunt per artus dolores, ſævit lumbago, oritur laſſitudo ulceroſa, ſuccedit non raro inquietudo, tum jactatio & anxietas; interea rubet totum corpus, & vultus imprimis; color flammeus urinis inducitur &c.

Ut

Ut autem ejus caloris, qui in animantium viget corporibus, & variorum morborum aliquando magna pars eſt, naturam aſſequamur, de cauſa prima, qua excitatur, non agemus; noſſe ſufficit eam, quæ a Chemicis ita confidenter prolata eſt & juxta eos in ſanguine latet, merum eſſe figmentum; ſed quod magis mirum videbitur, caloris vim non potiori jure ad arteriarum motum referri poſſe auſim aſſerere; languet pulſus ſæpiſſime aut vix explorari poteſt in ſummo partium æſtu; obſervatur nonnunquam quod una intenſe frigeſcat, dum in ipſa non concidit vaſorum vis; eorum actio neceſſaria eſt ſolummodo ut conditio, ſine qua nequit accendi vitalis ignis, non vero ut cauſa *efficiens*; quanam autem ratione poſt febrile frigus incandeſcat quibuſdam exemplis doceri poſſumus.

Et primo quidem, cum quis balneo frigido immerſus eſt, quadam dein febris ſpecie laborare ſolet; cum manus frigore rigentes nive fricantur, excitatur calor, ruborque inducitur, & exhalat dein vapor ſeu fumus; ſi quis diu vento frigidiſſimo, aut glaciali aeri ſe objecerit, & in tepidum locum ſe receperit, incaleſcit tandem quæ jam rubebat facies; contingit idem, imo & cum dolore, in quacumque parte, quæ intenſum frigus experta eſt.

Haberi ergo debet frigus tanquam cauſa irritans; nam in refrigeratis partibus remanet acrior ſtimulus; ſtamina nimirum contrahuntur; coacervantur in iis, & ſtagnant liquida; unde ſe proripiente frigoris vi, aut ſenſim aucta per irrita-

tionem nervorum actione, insurgit vitalis motus; inde coryzæ & catarrhi, cum ex loco calidiori in frigidiorem quis transit; ex eadem etiam mutatione aut periculosa vice ortum trahunt sæpissime hiemales pleuritides; pleniora scilicet vasa, seu caloris vi turgentia, suscepto frigore constringuntur; retardatur ergo in iis aut impeditur circuitus; sanguis interea continuo appellens, validius in ea incidit, quæ ipsi obicem ponunt; continuo autem motu, & fibrarum distractione non mirum si vitalis ignis excandescat.

Similem quandam febri intermittenti inesse causam, suspicari licet; frigoris vi collectus hæret sanguis in cavis cardiacis, in pulmone & in vasis mesentericis: hæc autem sanguinis moles, veluti continuo stimulo, nervorum concitat actionem, inde necessario insurgit arteriarum motus, & innatus exsuscitatur calor; interea prout partium contractio, & liquidorum stagnatio major fuerit, eo major in genere erit æstus; aliquando tamen ita contrahuntur omnia, ut vitalis oppressa vis nequaquam revocari possit, & omnino restinguatur.

Non tamen huic causæ ita insistendum ut ex ea tantummodo exoriri calorem credamus; dubium enim esse nequit, quin adsit alia a frigore omnino diversa, ea nimirum, quæ febrim infert, & quæ pendet ex veneno seu miasmate fibras vellicante; atqui & hoc stimulo augetur circuitus vis & accenditur calor.

Patet id ex ipsis febribus, quæ intermittunt, aut remittunt; nam hæ absque prævio frigore, aut

sal-

ſaltem abſque intenſo ejus gradu nonnunquam invadunt, & aliquando gravius urgent, præterea, in febribus continuis & in pleuritide, aliiſve affectibus antecedere ſolet refrigeratio; remanet interim cauſa irritans, vel inflammatio, ex qua pendet ſuccedens calor, atque omnis febris decurſus; frigus tamen acerrimum, & per certum tempus protractum, imo & aliquando periodicum obſervavi, nullo omnino inſequente æſtu; inſtare tamen quiſque credidiſſet febrem.

Quod innuere viſum eſt, calorem prægreſſo frigori tribuendum eſſe, eſt certorum remediorum effectus; iis ſcilicet tolli frigus, nec calorem aut febrim inde inſequi obſervatum eſt; at ſi ſucceſſerint remedia hæc ante frigoris invaſionem ingeſta, quis auſit aſſerere ea in cauſam ipſam frigoris & febris ſimul vim ſuam non exerere? id profecto ita ſe habere innumera probant, ut in febrium curatione demonſtrabimus.

Intenſior eſt quam fortaſſe ſtatim videatur in febre intermittenti caloris vis; ſuperat enim calorem, qui in variis febribus acutiſſimis urgere ſolet; aſcendit ſcilicet ad trigeſimum nonum gradum aliquando; hinc autem patet quantum eſſe oporteat in febribus ardentibus incendium, cum ſæpius ex intermittentibus ſint compoſitæ; eo nimirum intenſius erit, quo plus ſanguinis in vena porta, in cordis atriis, & in pulmone coacervatum fuerit; ideo circa eas partes tantum ægri experiuntur æſtum.

Congruit id cum œconomiæ animalis legibus, quæ per reliquum vigent corpus: caput v. g. in phrenitide, fauces in angina, acriori exuruntur

calore; congeſtus in his partibus ſanguis majori in eas propellitur impetu; unde incaleſcant oportet; non interea tantam eſſe ſemper caloris vim, quanta ab ægris percipi videtur, exiſtimandum eſt; non melius de ea ſenſu judicant quam de frigore; notum eſt autem quod nonnunquam, cum ſentienti videatur acerrimum, leve admodum, & aliquando nullum, reperiatur admoto thermometro.

Febrilis æſtus phænomenon eſt ſudor; uti copioſe manare ſolet, cum valido exercitio commovetur corpus, ita & affatim profluit, ſi cauſæ alicujus internæ ſtimulo auctus ſit arteriarum motus; at ſi intenſius urgeant febris & calor, non ita aperiuntur cutis ſpiracula, conſtringitur e contra ejus textus, unde ardor & ſiccitas in univerſa corporis peripheria; expectandum ergo donec deferbuerit febris, ut exhalare poſſint qui ea ſubacti ſunt humores; tunc autem relaxatis fibrillis & colatoriis cutaneis, prorumpit undequaque ſeroſus latex; ſuperſtes febrilis motus, relaxatio partibus inducta, vaſorum externorum repletio, ſudorem plus minuſve promovent.

Perſpicuæ ſunt & certiſſimæ hæ ſudoris cauſæ; inducta quidem laxitas dubia non eſt; cum vigente paroxyſmo diſtrahantur fibræ, eo concidente debiliores eſſe debent; teneriores enim & molliores fieri ſolent carnes, caloris & motus vi, poterunt ergo per poros facilius effluere liquida, idque eo magis, quod cum validior fuerit ipſorum circuitus, his turgeant neceſſe eſt vaſa cutanea; ad eam etiam exundationem per ſudoris

vias

vias multum confert mutata ſanguinis craſis: ſolvitur, ut liquet, in iis, qui febrim paſſi ſunt; pallidi namque & exſangues fiunt; interea hæmorrhagiis aliquando obnoxii ſunt; imo ob degeneris ſanguinis vitia in ſcorbutum ſolent incidere.

Inde patet quanta hic varietas poſſit occurrere; in certis ægris incipit quandoque ſudor cum calore; in aliis tardius aut non multo poſt cum incanduit corpus; in nonnullis vero ſerius erumpit; diutius præterea aut per breve temporis ſpatium ſolet promanare, ſed alias profuſus & alias parcior; hæc autem varie ſe habeant neceſſe eſt pro morbi cauſa, pro viſcerum affectibus, pro vario frigoris aut caloris gradu, vel pro ægri temperie; inde aliquando inſolita erumpit ſudorum vis; febre intermittenti laborantem vidi, qui ſexies qualibet die cutaneam experiretur illuviem; bis terve intra horam induſia exuere cogebatur.

Ut in ſudoris organa, ita in alia colatoria diverſa eſt admodum caloris vis, urinæ v. g. tenujores fiunt vigente frigore; nam conſtrictis partium omnium ſtaminibus & liquidorum languente motu, elabi ſolummodo poſſunt quæ tenujora ſunt per renum ſecernentia organa; remanent interim craſſiora, aliis immixta humoribus; at aucto febrili motu flammeæ fiunt; a bile & oleoſis partibus immixtis & ſubactis pendet hic color, variuſque eſſe ſolet, modo nimirum intenſior, modo tenujor.

Intenditur etiam rubor profuſa ſudorum copia; nam per poros cutaneos ſecedunt ſubtiliora liquida, unde ex urinoſo latice detrahantur opor-

tet in eoque relinquantur quæ rubra ſunt, & febrili igne veluti aduſta; ita cum quis valide commovit corpus & impenſe ſudavit, ardent urinæ & parcior eſt earum copia; ſed fiunt ſimul ſpumeæ, & in pelliculam concreſcit earum ſuperficies; quod & in febribus obſervare eſt.

In iis denique poſt exantlatam paroxyſmi vim duplex dejicitur ſedimentum, lateritium ſcilicet, aut album & læve; primum quidem, de quo alias agemus, ſymptoma morbi eſt, aliud vero ſolutionis ſignum; de eo multa apud Veteres, an vero æque certa ſint ac ipſis creditum, non facile dixerim; ſed a Recentioribus nimium videntur neglecta.

Galenus ipſe initio tertianarum febrium, earum ſolutionem ex urinis ominari ſolebat; exſpectanda eſt juxta eum poſt quartum circuitum, ſi rubræ ſint aut flaveſcentes, & adſit enæorema; poſt ſeptimum prodit ſi rubræ tantummodo ſint; & poſt tertium ſi prima die dejiciatur ſedimentum læve & æquale; hæc quidem ſubſidentia magni momenti eſt in febribus quartanis præcipue, ſed, ut alias oſtendemus, varia omnino eſſe ſolet.

Uti autem, cum concidit febris continua, oriuntur varii motus in viſceribus, ita & miteſcente intermittentium paroxyſmorum vi, prodeunte nimirum ſudore aut eo deſinente, demittitur alvus aliquando, aut concitatur vomitus; aliquando, inquam, cum id in quibuſdam tantummodo ægris obſervaverim; inducta nempe laxitate confluit bilis in inteſtina, & fæces alvinæ progrediuntur, idque eo facilius quod motu febri-

brili aucta fuerit earum acrimonia; non latuerunt *Galenum* naturæ conatus ejuſmodi; multus, inquit, vapor calidus per cutim exhalat, biliſque vomitu rejicitur, vel alvus deorſum fertur.

CAPUT XI.

De apurexia, quæ paroxyſmos ſequitur.

POſt ſudorem ſuccedit apurexia, & omnia in naturalem ſtatum videntur reſtitui; ſed ejus temporis, quo ſilet febris, varius eſt decurſus, multaque in ipſo notanda occurrunt; intervalla quidem ad ſenſum lucida eſſe omnino videntur, nam vix occurrit, quod morbi ſpeciem præ ſe ferat: vix tamen fieri poteſt ut ab integra valetudine in morbum, & a morbo in valetudinem fiat ſtatim tranſitus; unde *Galeno* injecta ſuſpicio de perfecta apurexia; non potuit is adduci ut crederet diebus intermediis omnino quieſcere febrilem vim.

Noctes paroxyſmum antecedentes multis inquietæ obſervatæ ſunt, certumque eſt, ſi attente res inſpiciatur, remanere per intercalares dies aliquod morbi veſtigium; remanet enim morbi fomes, qui ab uno ad alium paroxyſmum ſtimuli inſtar urgere debet; præterea non poſſunt interna ſe optime habere, cum quid ſemper præ ſe ferat vultus, quod morbum redoleat, cum urinæ & fæces a naturali ſtatu recedere ſoleant,

cum denique non ita vigeat ut plurimum appetitus, nec æque perfecta ſit digeſtio aut ciborum concoctio.

Prout igitur febris ſtata hora propius ingruit, debent tacitæ, aut aliquatenus ſenſibus obviæ excitari turbæ; cum enim proxime inſtat inſultus ſeu febrilis ignis eruptio, neceſſe eſt ut fomitis ipſius vis exſuſcitari ante incipiat; idque eo magis, ſi perturbetur paroxyſmorum ordo; antecedunt ſcilicet non raro ſolitum invaſionis tempus, illudque modo ſenſim, modo longiori varioque interjecto tranſiliunt ſpatio; quo autem citius exſuſcitantur, aut brevius inter eos ſit intervallum, eo majores febri accedere vires ſignum eſt, eamque celeriori greſſu ad continuam properare; contra vero cum ſerius invaſit febris, de ea aliquid demptum eſſe ſtatui poteſt; mitior certe eſt ſæpiſſime ejus vis, & brevior retardati cujuſque paroxyſmi decurſus; unde ſpes eſſe poteſt ad finem inclinare morbum.

Haud equidem me latet *Galeno* ſecus viſum eſſe; anticipatione, inquit, ſola non ſignificatur incrementum . . . . quandoquidem quartani, tertiani & quotidiani paroxyſmi, uſque ad perfectam ſolutionem, tempus quo primum ingruebant prævertere obſervatum eſt; hæc quidem quin vera ſint negari nequit, ſi leviores ſint anticipationes; non ſunt eæ infrequentes, imo in pleriſque occurrunt febribus; nullius tamen ſunt momenti, initio imprimis, cum febrilis cauſa, veluti incerta, non ita fixum ſequi poteſt typum; difficile admodum eſt ut ea quocumque tempore, ſta-

ſtatis præciſe exſuſcitetur horis; innumera enim intercedunt, quibus ejus turbari debet inceſſus.

At certa conſtat experientia eas febres, quarum acceſſiones aliæ alias multum qualibet invaſione antecedunt, vires novas eundo ſæpiſſime acquirere & difficilius omnino ad exitum deduci; tertianæ v. g. in duplices tertianas, imo in continuas commutantur; quin etiam in certis epidemiis ita progrediendo mali moris adducunt ſymptomata; ideo per initia remediis diligentius incumbendum; cum nuper horarum quatuor aut quinque anticipatio mihi bis terve in quodam ægro occurriſſet, venam eadem die bis ſecandam juſſi, & ita a more ſolito aberrantis morbi fracta eſt vis.

Confirmantur ea iis febribus, quæ nuper in caſtris graſſatæ ſunt; erant eæ duplices tertianæ, quæ quotidie duabus tribuſve horis ante prægreſſum paroxyſmum exoriri ſolebant; illæ brevi in vere continuas mutabantur, aut ſaltem graviora omnino adducebant ſymptomata.

Interea ut ultra citraque incidunt invaſionis tempora, ita paroxyſmi in variis febribus varie excurrunt; longiora nimirum aut breviora ſunt eorum intervalla; inde autem deducta eſt tertianæ in duas ſpecies diviſio; alia ſcilicet tertiana eſt legitima ſeu exquiſita, alia vero notha ſeu ſpuria; exquiſitæ paroxyſmi ad horas duodecim, ſpuriæ vero ad horas octodecim plus minuſve excurrere dicuntur; at quod exquiſitam ſeu vulgarem ſpectat, eam ad horas duodecim protrahi vix unquam obſervatur, nec uſpiam *Mercuriali* in quadra-

draginta annorum praxi occurrit; experientia autem quotidiana docemur paroxyſmos intra quinque, ſex, ſeptem vel octo horas conſiſtere; excipiendi ſunt tamen aliquando primi inſultus, qui in nonnullis ægris longius ſolent procedere.

Mirari interim ſubiit multorum opinionem, qui tertianas exquiſitas nothis graviores eſſe aſſeruerunt; in iſtis, inquiunt, remiſſiora ſunt omnia, non incipiunt cum rigore aut tanta frigoris vi, minus eſt pungens calor, pulſus non adeo velox aut inæqualis, ſudor parcius profluit; ego vero ejuſmodi febres, quarum longiores ſunt paroxyſmi, ſummo impetu decurrere ſæpiſſime obſervavi; neceſſe eſt ergo, ut viri clariſſimi contra ſentientes de iis egerint febribus nothis, quæ degeneres in vetuſtatem abierunt; id ita ſe habere dubitari nequit, cum earum longiſſimum eſſe ſtadium aſſerant; aliæ juxta eos ad decimum quartum, aliæ ad vigeſimum paroxyſmum, nonnullæ vero ad ſex menſes producuntur; non negaverim tamen quin aliquæ occurrant, quæ ipſo initio longiores habeant acceſſiones levioribus ſtipatas ſymptomatibus.

Intermittentium decurſum multa cum febribus continuis habere communia creditum eſt; autumant ſcilicet nonnulli, ut intra ſeptem dies certæ febres continuæ deſinunt, ita ſeptem circuitibus judicari tertianam febrem; at notari velim febrem continuam ſeptem dierum nocte ac die vigere, intermittentem vero ex viginti quatuor horis, per quinque aut octo tantum excurrere; aliæ vero continuæ, quæ die undecima, quatuordecima, vigeſima

pri-

prima desinunt, quanam ratione ad aliquam febrim intermittentem referri poterunt? an ad quartanam v. g. quæ tertiana diuturnior est; supponamus ejus terminum esse sexagesimum diem, quod sane multum a vero aberrat; erunt per id tempus accessiones viginti, eæque sex aut octo horarum; e contra vero per totos quatuordecim aut viginti dies excurrent continuæ absque ulla intermissione.

Si quid tertianæ aut quartanæ cum continuis commune videri possit, id positum est in sola earum remissione; solent nimirum exacerbari & mitescere certis temporibus; sed perseverat febrilis motus, & brevissima est remissio aut vix aliquando exploranti patet; e contra vero per unum duosve dies desinit aut omnino desinere videtur febris intermittens; atqui nil affine esse potest inter morbos, qui continuo procedunt gressu per longum temporis spatium, & eos, qui statis temporibus alterne redeunt & evanescunt.

CAPUT XII.

De varia ratione, qua febris evanescit, aut excitatur, vel mutatur ejus incessus.

SED quare ita evanescit febris? & unde ipsius alternus statisque temporibus præfixus reditus? id profecto si assequi liceat, non quærendus quæstionis nodus nisi in causæ febrilis phænomenis, aut in similibus, si qui sint, alternisque variarum par-

partium variorumque affectuum motibus; ſtatim igitur inquirendum quomodo incedant varieque reſurgant aut deliteſcant paroxyſmi, quorum tam intricata & obſcura ratio.

Febrilis cauſæ natura nobis omnino incognita eſt, hoc tantum liquet eſſe in ea ſtimulantem vim & excandeſcentem, ea ſpiritum vitalem ſtatim attingi, & veluti obrui, ipſamque tandem motu aucto & calore ſubigi, ita ut iiſdem viribus concitari & concidere videatur; perinde quodammodo in ejus agendi ratione ſe res habet ac in crapula; opprimitur ſtatim ejus vi ventriculus; inſurgit deinde febrilis motus, qui omnia ſanguini admixta ſubigit, veluti coquit & eliminat; at in eo differt a febri intermittente febris hæc, quod ut plurimum per ſe ipſam curetur, nec niſi novo in victu errore concitata reſurgat.

Superſunt ergo febris ſemina poſt paroxyſmos; ideoque ſtatis temporibus in eam erumpant neceſſe eſt, & quaſi fermentum ſe undequaque diffundant; vel enim colligantur oportet antea per corpus ſparſa, & quendam in locum confluant; vel eadem novis augeri debent viribus, quæ tandem ſe exerunt febrimque accendunt.

Sed qui fieri poteſt ut dum colliguntur, aut intenſiores fiunt veneni febrilis vires, iners id omnino ſit aut eſſe videatur? an cum veluti mortua per intercalares dies ſileant ejus ſemina, cauſa aliqua indigent, qua exſuſcitetur ipſorum vis? num v. g. perinde ſe habet excandeſcentia febrilis, ac in pulvere pyrio, qui per ſe nil præſtare poteſt, & qui, ſi admoveatur ignis, explodi ſolet?

Id

Id quidem exemplum aliaque ejuſmodi adduxerunt multi, licet ab œconomia animali aliena ſint; quid autem ex iis deduci poteſt quod cum febre congruat? ſi quædam ei concitandæ videantur apta, eorum vires tales non ſunt, ut alternis concidant & inſurgant, atque certo ſubjiciantur typo; neceſſe eſt ergo ut propria vi, ſeu per ſe ipſam ſtato tempore erumpat febrilis cauſa; citius tantumtummodo aut tardius ſe exerere poterit, ſi quædam occurrant, quæ ipſi obicem ponere aut vires poſſint addere.

Sed ſatis ſuperque in hac enodanda quæſtione immorati ſumus; inanis enim eſt ac otioſa; eadem cauſa, quæ primum invexit paroxyſmum, ſequentes exſuſcitat, eodemque procedit greſſu; atqui cum primo corpus ſubiit, aut ex ejus latebris ſponte exorta eſt, non integris haud dubie pollebat viribus, iis nimirum, quibus ad ultimum gradum evecta prodiit; febrim enim ſtatim concitaſſet; ſed paulatim humores infecit, aut increvit, deinde vero cum impetu erupit ejus vis; ſicut autem initio alienis aut adventitiis cauſis non opus fuit, ut tandem poſt certum tempus poſſet inſurgere, ita & quod ex ipſa poſt primum remanſit inſultum, nil aliunde requirit adjumenti, ut iterum poſſit incandeſcere.

Quod profecto mirum eſt, ita frænari poteſt ejuſmodi cauſa, ut in corpore latens febrim non concitet & alios affectus inferat; poſt certa adhibita remedia v. g. ſilent repreſſi paroxyſmi, & interea ægrum fieri poteſt totum corpus; ſunt nimirum multi, in quibus febri ita compreſſæ ſuccedit

dit gravitas corporis, ventris tumor, appetitus dejectus; quod vero non exſpectandum videretur, ſi redeat febris, aliquando his omnibus levatur æger; abſumitur cauſa, redintegratis paroxyſmis, ita ut ejus remedium videatur ipſe febrilis motus.

Alias, quod magis mirabile, ſublatis quibuſcunque ſymptomatibus, remanet febrilis fomes innoxius; incedit ejus vis tacite, aut potius latet veluti ignis cineri ſuppoſitus; tunc ſæpe, ſi quod incidat erratum in victu, ſi frigore aut aere humido tentetur corpus, aut quadam alia ratione partium perturbentur functiones, tunc, inquam, quæ ſiluit v. g. per menſem aut diutius febris, reſurgit ſævitque veluti ipſo initio.

Nec quidem dici poteſt eam ex illis cauſis ortum trahere; his enim nil ineſt, quod ad febrim intermittentem potius quam ad alios morbos plus conferat; priſtinam tantummodo exſuſcitari labem probatur, ex eo quod non quæcunque tunc reſurgat febris; imo e contra ſi tertiana aut quartana primum prodierit, eundem ut plurimum typum præciſe refert quæ iterum exoritur; remanet ergo eadem cauſa, nec ipſius ullatenus immutatur natura.

Obſervatur & hæc conſtantia ſive immutabilitas in ipſis reduplicationibus; nam ſi contingant in tertiana, hæc in tertianam duplicem faceſſit; ſi vero in quartana, exoritur quartana duplex; eundem nimirum ſervant ordinem paroxyſmi, ſibique tertia aut quarta quaque die reſpondent; vel in ipſis anticipationibus ſe prodit ordo quidam non raro;

raro; singulis enim diebus aliquando & æquali temporis ſpatio ſtatam antecedunt paroxyſmi horam; in receſſu denique ab ordine hoc ſeu ea lege non deflectunt ejuſmodi febres; in duplici tertiana v. g. desinit una aliquando, altera remanente cum omnibus ſuis dotibus; idem obſervatur in duplici quartana, imo & in eadem triplicata.

Non tamen ita ſemper sibi conſtare febrium naturam exiſtimandum eſt, ut tertiana in quartanam non mutetur, aut quartana, quod tamen rarius eſt, in tertianam non faceſſat, vel quotidianæ ſpeciem præ ſe non ferat; inde autem efficitur ejuſdem ferme cauſæ ſobolem eſſe utramque febrem, aut ſaltem alteram alteri eſſe multum affinem; tertiana interim magis abnormis eſſe ſolet; ita ſæpe mutatur ut nil de primario typo retinere videatur, & vix dignoſci poſſit; patebit illud ex certis febribus, quæ ex aliis compositæ varie omnino incedunt; ſed liquet idem imprimis ex febribus tertianis, quæ in hecticarum ſpeciem diu excurrunt, diversiſque adſcitis ſymptomatibus faciem omnino diverſam induere ſolent.

Cum faceſſit aut evaneſcit hæc conſtans febris cauſa, aliquando equidem veluti uno ictu tollitur, nec dignoſci poteſt quomodo eam attingant cauſæ ipſam tollentes; eam aliquando abigunt ſubitæ mentis & corporis commotiones; terror v. g. aliquando febrim quartanam curavit; idem præſtitit ira, tum calor intenſus, tum motus, & ſumma partium internarum perturbatio; at quod minus mirum, eandem jam ſopitam cauſam & latentem concitare poſſunt eædem cauſæ; ſolus

rei

rei insolitæ aspectus eam sæpius revocavit; ad gliris conspectum v. g. nonnunquam summa vi resurgere visa est.

In curatione occurrunt alia, quæ non minus secum, aut cum ratione ipsa pugnare videntur; subdita est febrilis causa variis remediis, imo quod iterum mirum, sibi aliquando adversis; quæcunque autem ea sint, ipsis curatur febris eadem prorsus ratione, qua antidotis fugantur venena: tacite tamen absque ulla perturbatione se aliquando veluti sponte proripit febrile venenum; quod vero propius ad rem, de qua agitur, spectat, ita sublata febri, remanent nonnunquam ejus quædam vestigia; sunt enim affectus, qui eodem tempore, quo paroxysmus se exerere solebat, prodeant; vel adest tunc capitis aut corporis gravitas vel dolor aliquis, aut quidam quasi ingratæ rei sensus totum corpus afficit: imo, ut diximus, si quibusdam credendum, febriles insultus eodem tempore sive versus eandem horam, cum ii post diuturnum discessum iterum exoriuntur, prodire solent.

CAPUT XIII.

An in aliis affectibus insit aliquid, quo duci possimus ad periodorum febrilium causam.

SED ut ad quæstionem propositam redeamus, an in iis omnibus eluceſcat aliquid, quo explicari possit, ut alternis moveatur & quieſcat febrilis causa? Fatendum profecto ex tam accurata phœnomenon historia, leges, quibus hæc causa subjecta est, magis adhuc incertas videri & intricatas; inquirendum ergo est num ex aliis affectibus aliquid deduci possit, quod tam obscuræ rei lucem aliquam affundat.

Multa quidem in iis occurrunt, quæ ad febrem intermittentem referri posse visum est; vel in iis ipsis, quæ maxime dissimilia sunt, quædam se produnt, in quibus alternorum motuum causas perspicere aut suspicari licet; at varia omnino esse possunt; unde iis cognitis supereſt dubium, num aliud sit, aut omnino diversum circuitus febrilis principium; cum tamen in eo aliquid plus minusve ejusmodi causis affine esse possit, eas diligenter prosequemur.

Ad periodorum rationem assequendam, voluerunt quidam ita partes comparatas esse in animantium corporibus, ut certis possent subjici legibus; potest v. g. quivis certum tempus evacuationibus alvinis præfigere; potest & appetitus ci-

borum ita regi ut certis horis exſuſcitetur, poteſt denique ſomnus certis circumſcribi temporibus; aſſuetudine enim eadem hora expergiſcimur; ſed quid inde licet concludere? dici profecto nequit in febre intermittenti aſſueſcere partes quieti & alterno motui; earum enim affectus febriles, vel ipſo initio, quam inire debent, ineunt viam.

Sunt motus quidam naturales & præternaturales, qui magis ad febris intermittentis accedunt motus: menſtrua v. g. ſtato tempore ſolent erumpere; idem contingit non raro in hæmorrhoidum fluxui obnoxiis; in utroque autem caſu non alia videtur incuſari poſſe cauſa, niſi ſanguinis per certum tempus aucta copia, quæ dein per uteri collicias, & per hiantia hæmorrhoidalium vaſorum ora ſibi viam aperit; ſimilem cauſam incuſare licet in bilis, ſalivæ, tranſpirabilis materiæ, ſudoriſque effluxu, qui aliquando certas ſervat periodos; idem dici poteſt de urina, quæ quandoque ſtatis temporibus copioſius profluit.

Non abſimilis eſt ratio tumorum quorundam, ex quibus periodice effluere ſolet ſanguis; hi ſedulo in examen vocati exhibuerunt venas ſumma dilatatione in ampliſſimos canales mutatas; in has e minimis arteriis immiſſus ſanguis in molem aſſurgebat, & ſtatis temporibus ſibi objecta infringebat repagula; aliud exemplum aliquoties vidi in variis tumoribus per medium ſectis; ex eis periodica oriebatur hæmorrhagia ob collectum ſenſim in quodam cavo ſanguinem.

Alii ſunt affectus periodici, quorum exortus & cauſa obſcurior eſt; tales ſunt hemicraniæ, vel

do-

dolores aliquando acutiſſimi & veluti per quemdam circuitum alternis inſurgentes & evaneſcentes; occurrunt & multi alii machinæ humanæ motus, qui inſtar maris æſtus incedunt; ipſæ febres continuæ remittunt & exacerbantur; nocte imprimis ingraveſcere ſolent, & matutinis horis aliquatenus concidunt.

Sed qua ex cauſa veroſimilius hæc deduci poſſunt quam ex materia quadam, cujus augetur aut imminuitur quantitas, vel quæ acrior mitiorve fieri ſolet? Nonne proſtat v. g. hujus rei argumentum in febribus continuis imperfecta criſi judicatis? ejus vi ſcilicet expellitur materiæ morbificæ magna copia, ideoque conceditur quies per aliquod tempus; quæ autem relicta, colligi poteſt iterum, vireſque recipere, & inde in febrim relapſus.

Simile quid proſtare videtur in podagra & in epilepſia; in podagra quidem dubium non eſt quin ſit materia quædam ipſam efficiens; hæc autem per corpus circuit diu tacite & innocue; colligitur tandem in certis partibus ipſi excipiendæ aptioribus: cum autem collecta eſt & movetur, ſtatim exoritur inſultus.

Quod vero epilepſiam ſpectat, videtur ſaltem aliquando ex collecta etiam materia ortum trahere; cum v. g. ex quodam loco affecto, contuſo, aut vulnerato inſurgit, nonne in eo fit collectio quædam, qua tandem ſtimulantur nervi? nonne id multo magis evidens eſt cum in miaſmate retroacto ejus latet cauſa? nam ſi fonticulis apertis elabi poſſit miaſma ejuſmodi, ſolvitur morbus, ita ſcilicet impeditur ejus miaſmatis collectio.

Hæc ad febrim intermittentem partim ſaltem referri poſſe multis aliis probatur, quæ in ejuſmodi morbis non ita videntur abſimilia; & primo quidem podagræ cauſa latere poteſt per certum temporis ſpatium; exſuſcitatur ea nonnunquam ferme ſubito, ſive ſponte, ſive animi pathematibus, ſive erratis in victu; febrem aliquando infert a febri intermittenti non valde diverſam; in varias partes derrudi poteſt, in iiſque varias concitare turbas; ſubigitur tandem dolore & tractu temporis; præterea collecta materia evaneſcente, aut mutata remanet fomes, ex quo vere ſæpius & verſus autumnum imprimis prodire ſolet.

Quædam denique inſunt, licet adeo diverſi ſint morbi, epilepſiæ & febri intermittenti communia; invaſio in epilepſia eſt ſubita, & inexſpectata; nervos irritat affectus hic & in conſenſum trahit; periodicus eſt aliquando, & pathematis aut erratis in victu excitatur; ſubigitur tandem cauſa vel expellitur motibus internis & externis; ſupereſt tamen fomes, ex quo ſimiles erumpant inſultus.

Videtur & ab invaſione febris intermittentis aliquid non plane alienum præ ſe ferre hyſterici affectus invaſio; turgente utero v. g. concitatus aliquando ſubito inſurgit, uti & epilepsia, a qua non multum diſtat; ſtomachum ſubvertit, frigus infert, aliaſque ciet turbas; irritantur ſcilicet nervi donec evacuatio ſuccedat menſtrua, & tollatur ſanguinis collectio.

Si igitur conjecturæ tot & tantis tamen argumentis innixæ indulgere liceret, ſtatui poſſe vi-

de-

deretur: I. dari in febribus intermittentibus quandam materiam in corpore genitam, vel aliunde advectam, quæ per univerſas, ut diximus, diffundatur partes: II. eam tamen præcipue hepati eſſe infeſtam, in ipſo eam colligi, in illudque vires ſuas exerere: III. poſtquam ad certum gradum devenit, & certa vis ei eſt addita, ipſam veluti admoto ſtimulo viſceris illius textum nervoſque vellicare, ſanguinis curſum retardare, acrimoniam, pravaſque dotes illi conciliare: IV. eam veluti facto impetu in nervos agere, totumque commovere corpus, & tandem ex loco primum affecto & ex omnibus aliis partibus febre inſequenti excuti & difflari. V. denique remanere fomitem qui ſenſim iterum auctus eaſdem concitet turbas.

Ulterius ſapienti Medico progredi non licet; commode quidem his ſuppoſitis explicatur febrium intermittentium circuitus; at quid ferat natura, non quid ingenio commodum ſit, & nodum ſolvere videatur, ſpectandum eſt; ſunt equidem in iis, quæ jam diximus, nonnulla, quæ certa omnino ſunt, alia vero magnam ſolummodo veri ſpeciem præ ſe ferunt; illis ſtandum, & de iſtis inquirendum ſupereſt.

De cauſa v. g. ſeu de materia febrili nullatenus dubitari poteſt; patet id, ut diximus, ex paludoſis locis, quorum exhalationes, corporis intimos receſſus ſubeuntes, febrim concitant.

Venenum hoc hepati eſſe adverſum, idque imprimis aggredi, certiſſimis probavimus argumentis; idem vero difflatum iterum colligi & vires recipere non minus certum ratumque eſt; liquet

id, ut jam innuimus, ex febribus continuis male judicatis.

Earum autem virium, quæ augentur & ſilent ad paroxyſmum uſque, in eoque incandeſcunt, ratio non ita perſpicua eſt; at in aliis morbis ſimilia proſtare exempla monuimus; vomicæ v. g. innocue in pulmone latere videntur donec erumpant; in ipſo hepate quandoque adſunt abſceſſus, nullo eorum prodeunte ſigno vel ſymptomate; ob congeſtionem ſanguinis ſæpe exoriuntur hæmorrhoidum dolores, abſque ullo hujus congeſtionis præeunte ſenſu; idem dici poteſt de ſanguine menſtruo, de podagræ & epilepſiæ cauſa, ut jam innuimus &c.

Quod vero ſpectat cauſæ ſeu veneni febrilis in nervos actionem, ea & in aliis affectibus obſervatur; ſuppreſſis v. g. menſtruis deferuntur in alias partes ſpaſmi; affecto hepate ſubvertitur ſtomachus, uti & cum in choledocho ductu hæret calculus; quidni autem idem efficeret febris cauſa in hepatico textu ſe exerens, vel in primas vias delatus ejus ſtimulus?

CAPUT XIV.

De diverſa cauſæ febrilis actione in variis febribus, in vernalibus v. g. & autumnalibus.

UT ut hæc ſe habeant, patet ſaltem quænam poſſit in febribus occurrere varietas, aut quam variam faciem præ ſe ferre poſſint; venenum enim febrile diverſas omnino poteſt induere formas; ita diſcrepare videntur aliquando, quas inducit febres, ut alienæ eas eſſe proſapiæ quibuſdam viſum ſit; non tamen inter eas tantum ineſt diſcrimen; quæ ex eodem fonte procedunt, abſimili poſſunt via progredi, aut variis ſtipari ſymptomatibus.

Febres vernales v. g. & autumnales non ejuſdem eſſe naturæ quibuſdam viſæ ſunt, idque multis argumentis probari poſſe contendunt; & primo quidem, inquiunt, vernales ſalutares ſunt, nulla ferme medela indigent, ſeptimo ſæpe deſinunt circuitu, gravioribus non ſtipantur ſymptomatibus, non adeo urgent nauſea, vomitus, & calor, urinæ tanto non ſuffunduntur rubore, nec ita lateritiæ ſunt, ſudores cum ſint minus profuſi, non exhauriuntur ægrorum vires, verno denique tempore absunt quartanæ, nec in eas utplurimum abeunt tertianæ; autumnales denique vernalibus fugantur, & vernales autumnalibus.

Sed invalida ſunt omnino ejuſmodi argumenta; in iiſque falſa veris intermixta; non ita ſalubres ſemper ſunt quæ verno tempore prodeunt febres; certis temporibus graviores ſunt; anno proxime elapſo v. g. ut plurimum duplices erant tertianæ; in aliis vero epidemiis eandem omnino præ ſe ferebant ſpeciem ac autumnales, non multum ſaltem inter ipſas erat diſcriminis; epidemice quidem graſſantes citius accedente æſtate miteſcunt aut evaneſcunt; ſed iterum eædem prodeunt ſæpiſſime accedente autumno, iiſdem ſcilicet ſtipatæ ſymptomatibus, eundemque omnino referentes morem.

Si vero epidemica non ſit febris vernalis, non magis ab autumnali abſimilis eſſe poteſt; eadem omnino ſunt prævia & ſubſequentia earum ſymptomata, idem eſt ipſarum typus; hoc tantummodo intercedit diſcriminis, quod vernales in tempus iis ſolvendis aptiſſimum incidant; eo veluti renovantur corpora, viget tranſpiratio, ideoque ipſæ autumnales, quæ ad ver uſque excurrerunt, ſe proripere ſolent: at de iis fuſius Libri III. capite primo.

Reliquum eſt igitur ut quædam tantummodo intercedat differentia inter veneni febrilis effectus; præcipua autem eſt illa, quæ tertianas v. g. a quartanis dividit; ſunt revera ejuſdem naturæ, licet adeo videantur diverſæ; nam aliæ in alias commutantur; cum tertianæ in quartanas & quartanæ in tertianas abire ſoleant; præterea adſunt eadem in utriſque ſymptomata; frigus ſcilicet, calor, & ſudor ſibi eodem ſuccedunt modo; ſi

quod

quod in cauſis occurrat diſcrimen, id in vi intenſiori aut remiſſiori, vel potius in quodam, eoque peculiari, agendi modo poſitum eſt; qui autem fiat ut tertia vel quarta quaque die erumpat venenum, id profecto ſtatui nequit.

Sunt tamen quædam, quibus ſi tantummodo ſpectentur effectus, multum a ſe invicem diſcrepare videantur tertianæ & quartanæ febres; imo, ſi quibuſdam credatur, ab ipſo initio prævideri poteſt cujus generis futuræ ſint; adeſt v. g. in tertianis horror & rigor, in quartanis vero ſimplex ſæpiſſime refrigeratio aut horror; cum autem incidit rigor, non eſt pungens inſtar acus, ſed gravior aut veluti oſſa eſſent contuſa; longius interim excurrit frigus ut plurimum, in ſenioribus præcipue, quibus ut diximus, ſane infeſtum.

Non minus a ſe ipſo differt pulſus, ſi obſervatis habenda ſit fides, nam in tertianæ acceſſione tarditas non multum quidem a naturali abeſt, in quartana vero multo magis; eſt ſcilicet, veluti in decrepita ætate, tardus, rarus & durus; in multis vero greſſu incedit tremulo & obſcuro, & valde inæquali; non raro poſt celeres parvaſque vibrationes inſurgunt validiores, & inter eas longum excurrit intervallum; videtur denique, teſte *Galeno*, ut jam diximus, arteria oſſi alligata, ita ut inde ſe efferre nequeat.

Calor frigori ſuccedens non ita urget in quartana, nec mordax eſt aut lancinans; ſudor hunc inſequens quibuſdam parcior obſervatus, aliis magis profuſus; varia ſimiliter in variis eſt urinarum

fa-

facies, crudiores juxta *Galenum* initio, procedente vero morbo intenſiori tinctæ colore profluunt; craſſior deinde dejicitur hypoſtaſis, alba quidem, non vero rubra aut lateritia; nonnulli interea alia omnino obſervarunt; ipſo ineunte paroxyſmo ſaturatæ illis occurrerunt urinæ, eæque dein cum laudabili ſedimento, tenujores tamen diebus a febre vacuis; quod vero majoris eſt momenti, ante morbi ſolutionem turbidæ & nigræ viſæ ſunt.

Hæc quidem, quin obſervata ſint, nullum ſupereſt dubium; ſed non ideo perpetua eſſe exiſtimandum; quod mihi frequentius occurrit diſcrimen non ita late patet; appetitus quidem ut plurimum in quartanariis vigere, aut ſaltem non ita dejectus mihi viſus eſt, frigus ſæpe experiuntur per longius temporis ſpatium, ſed rigori & membrorum concuſſioni minus obnoxii ſunt, pulſum habent magis depreſſum & inæqualem, non ita incaleſcunt, breviores ſunt paroxyſmi, ſudores diutius protrahuntur, minus tamen profuſi erumpunt, & noctibus per tempus intercalare non raro profluunt, urinæ denique colore minus ſaturato rubent, & cum longior ſit intermiſſio, tenujores in ea occurrunt; interea eſt ubi lateritiæ ſint, idque non raro obſervatum.

Majus intercedit diſcrimen in earum febrium decurſu, & ipſarum ſolutione & curatione; quartanæ nimirum longiores ſunt, ad annum imo & diutius aliquando excurrunt; cum autem longius proceſſerunt, difficilius curantur; hæmorrhoidum fluxui eas ſæpius ceſſiſſe certum eſt; ſed de his ſatis ſuperque dictum; prætermittemus & alia,

quæ

quæ ut illis febribus peculiaria commemorarunt Veteres; licet enim vera eſſe poſſint, experientiæ quotidianæ non ſunt ſatis conſentanea; ea autem noſſe imprimis intereſt, quæ ut plurimum occurrunt; quæ rarius ſe produnt, artis non ſunt.

His omnibus interea probari nequit diverſam eſſe febrium intermittentium quæ varie incedunt cauſam; & primo quidem non eadem ſunt, quæ in febribus ejuſdem generis occurrunt phænomena; tum in frigore & calore; tum in decurſu & in exitu abſimilem omnino ſpeciem præ ſe ferre poſſunt; deinde vero pro temporum ratione, pro temperamentorum differentia, pro partium functionibus, mutentur oportet febriles motus, licet ex eodem fonte ortum ducant.

De febre tertiana aut quartana duplici vel triplici vix quidquam occurrit notandum; nil ab earum abludens origine in ipſarum decurſu obſervare licet; tertiana duplex v. g. eadem eſt ac tertiana ſimplex, aut vi & impetu ſolummodo diverſa eſt; ſingulis diebus v. g. prodeunt quæ alternis prodire ſolebant; at frigus vel leve eſt, vel aliquando abeſt, horrore & rigore non ita ſtipatur, calor intenſius urget; quæ ſequuntur ſymptomata graviora ſunt; ſudor parcius effluit; non ita eo levantur ægri, remanet laſſitudo & gravitas; non ſuccedit perfecta apurexia, pulſus febrilis eſt, aut ad febrilem accedit, in continuam denique facilius abit ejuſmodi febris; periculum hoc ex ipſa urina ominari licet; non dejicitur ſæpe ſedimentum ut in tertiana ſimplici; motus vi ſcilicet conſtringuntur colatoria, nec ex iis effluere poteſt quod craſſius

eſt,

eſt, vel liquidorum natura ad excretionem minus propendet.

Quartana duplex minus recedit a ſimplici; eſt enim in ea intercalaris dies, tertius ſcilicet, a febre immunis; ideo ſymptomata non ita graviter urgere ſolent ut plurimum; diverſum interea frigus eſt, calor intenſius urget, non eadem eſt ſudorum ratio; urinæ variam ſpeciem præ ſe ferunt; ea omnia commutantur morbi vi ſeu impetu: at graviora occurrunt in triplici quartana; vix differt ea a tertiana duplici, nec ab ea diſtingui poteſt niſi prægreſſo typo; non tamen æque in continuam abire ſolet, nec ſtatim triplicatam hanc inceſſus rationem initio obſervare licet; ſæpe enim prodeunt duplices tertianæ, nullo alio præcedente febrili inſultu.

CAPUT XV.

De iis febribus, quæ ab intermittentibus alienæ, earum ſpeciem præ ſe ferunt.

FEbres intermittentes, quarum decurſum & naturam definire conati ſumus, facile in genere per ſe patent; ſed negotium faceſſunt aliquando aliæ, quæ de earum genere eſſe videntur, cum tamen omnino ab iis abſint & ipſarum falſam ſpeciem præ ſe ferant: non paucæ profecto, ſed multiplices ſunt, & a variis procedunt cauſis ejuſmodi febres; eas ergo ab iis, quæ veræ ſunt

in-

intermittentes ſecernere operæ pretium eſt.

Non hic autem agere mens eſt de quibuſdam febribus, quarum ſingularis eſt natura; erat v. g. mulier cachectica, cui pulmonis textus debilior; ſanguinem enim ſolebat ſpuere, & tuſſi quandoque vexabatur acriori; laborabat inſuper affectu herpetico, qui forte eorum omnium cauſa erat; cum vero is quandoque evaneſceret, ſtatim exoriebatur tertianæ febris ſpecies, quæ omnino corticem Peruvianum reſpuebat, deinde vero in continuam mutabatur; ſed hæc infrequentia ſunt; ad alia, quæ ſæpius occurrunt, deveniendum.

In certis catarrhis v. g. ſilet febris per diem, & nocte accedente excandeſcit, prævia etiam refrigeratione; poſt varias pleuritides, cum de die bene habuerint ægri, exſurgunt verſus noctem paroxyſmi, unde abſceſſum, aut alias morbi reliquias ſuſpicari licet; in febribus ipſis, quibus obnoxiæ ſunt quæ parturierunt fœminæ, nonnunquam aliquid quod intermittat obſervatur; poſt ipſas febres continuas, matutinæ horæ lucidæ ſæpe videntur, nox vero modo levem, modo aliquanto graviorem adducit paroxyſmum, eumque frigoris ut plurimum expertem; pedetentim tamen ſe ſubripiunt hæ reliquiæ abſque ullo ſæpiſſime febrifugorum auxilio: ipſis denique affectibus hyſtericis ineſt aliquando paroxyſmorum febrilium ſpecies; de nocte non raro exſurgit pulſus, veramque febrim adeſſe quis inexpertus crederet; ſed brevi deſinit aut miteſcit hic arteriarum motus; nec paroxyſmorum febrilium tempora percurrunt ejuſmodi excandeſcentiæ.

Ejuſ-

Ejuſmodi tamen affectus intermittentium febrium typum aliquando magis æmulantur; erat fœmina, quæ per annum integrum, ſtata quotidie hora, intenſiori frigore corripiebatur; ſuberant interim convulſivi motus, & membrorum hac & illac jectigationes; levis deinde exoriebatur calor & pulſus celerius incedebat; at nil præ ſe ferebant hæc omnia quod vere febrile eſſet; ſaltem intra horæ unius ſpatium omnia tam abnormis morbi ſymptomata ita concidebant, ut nil ſupereſſet quod a naturali ſtatu recederet.

Aliæ inſuper ſunt febres, intermittentibus minus abſimiles, quotidianæ nimirum, ita a Medicis dictæ, quia ſingulis diebus recurſus aut paroxyſmos habent conſpicuos; eæ, juxta quoſdam, pomeridianis horis aut verſus noctem imprimis exſurgunt; antecedit ſæpe frigus leve aut levioris quidam horroris ſenſus; aliquando vero nullum proſtat eorum veſtigium; calor interea nec intenſus nec mordax eſt, ſed humidus, tenuis & inæqualiter diffuſus; pulſus parvus eſt, aut ſaltem parum elatus, plus tamen vel minus variis in casibus; paroxyſmi alias longiores ſunt, alias breviores, iiſque desinentibus non diffluit ſudor, nec ut plurimum vera ſuccedit apurexia; remanet enim ſemper febriculæ quoddam veſtigium; urinæ lateritiæ non ſunt, ſed initio tenues ut & per morbi decurſum; eo tamen procedente, fiunt aliquando craſſæ & turbulentæ.

Eas febres, aut quæ non multum absimilem referunt faciem, obſervare eſt in iis, qui partium quadam laborant obſtructione, in abdomine im-

pri-

primis; occurrunt in iis v. g. in quibus non rite ſe habent hepatis munia & ventriculi, tum in iis, qui vigiliis, animi pathematis, laboribus mentis aut corporis confecti ſunt; non minus ejuſmodi febribus obnoxii ſunt ii, qui crapulæ nimium indulſerunt, & qui voluptatum illecebris irretiti marceſcunt, & quaſi exſucci fiunt; prodeunt denique eædem in mulieribus, quæ uteri aut ovariorum infarctu laborant, ut & in iis, quæ menſtruis deficientibus in varias, & inde ortum trahentes incidunt ægritudines; nec ætas quidem prima ſeu juvenilis earum febrium expers eſt, iis imprimis conflictantur puellæ verſus annum duodecimum, aut verſus illud tempus, quo efluxui muliebri ſternitur via.

Ejuſmodi autem febres licet aliquem intermittentium typum præ ſe ferant, ab iis tamen omnino diverſæ ſunt; nequaquam ſcilicet referri poſſunt ad duplices tertianas aut quartanas triplices; in iſtis, uti diximus, ſibi accurate reſpondent alterni paroxyſmi; in quotidianis vero non ita ſe res habet; non eſt præterea in illis certa aut notabilis apurexia, nec urinarum in genere lateritius color; abſunt & alia, quæ memoravimus ut veræ intermittenti propria; quando denique earum cura febrifugis tentatur ſpecificis, aut ea nil omnino proficiunt, aut noxia ſunt; concitatur ſcilicet iis nonnunquam hecticus, acriſve calor, qui forte naturæ ſolius, aut leviorum remediorum opera averti potuiſſet.

Ut autem quotidianæ febres aliquam febrium intermittentium præbent ſpeciem, ita quæ intermit-

mittunt quotidianas nonnunquam referunt; in his v. g. qui diu tertiana vexati ſunt, aut perverſa curati methodo, remanet quidam fomes, ex quo aliquando ſerotinis horis paroxyſmi inſtar exſurgit febrilis motus; at tunc plerumque proſtant obſtructiones, quæ varias abdominis partes occupant; ideo febris hæc, quæ ex relicto intermittentium ſemine prodit, ad quotidianas propius accedit; exacerbatur ut plurimum, ſi febrifugis imprimis calidioribus impugnetur; nec iis locus eſſe poteſt, niſi cum affectarum partium functiones reſtitutæſunt.

His poſitis, quæ experientia certa innixa ſunt, ſuperfluum omnino videtur de iis omnibus agere, quæ quotidianæ febri a Veteribus tribuuntur; de ea nil reperire eſt in genuinis *Hippocratis* ſcriptis; at multus eſt *Celſus* in ejus febris enarrando decurſu, eamque ut certo typo modo ſubditam, modo ut abnormem deſcripſit; accuratior eo *Galenus* quædam ſelegit peculiaria, quæ longo uſu obſervavit; eam ad partium obſtructiones aliquot innixus exemplis retulit: vereor tamen ne in quibuſdam ex experientiæ limitibus exceſſerit; eos profecto prætergreſſi ſunt multi ejus inſiſtentes veſtigiis; non occurrit ſaltem ejuſmodi febris ita ſæpe ac ex variorum Scriptorum libris credi poſſet.

Non obſervavit eam *Mercurialis* per quadraginta annorum luculentam praxim; monet *Riverius* ex ſexcentis ægris acceſſiones quotidie patientibus, vix unum quotidiana laborare febri; interea quædam commemorat huic febri propria; ea ſcilicet juxta eum præcordia diſtendit, ad dies

qua-

quadraginta, imo ad duos treſve menſes protrahi poteſt; variis denique ſtipatur ſymptomatibus, & in alios morbos, ut cachexiam, hydropem, lethargum degener commutatur.

De iis vero ita ſtatuendum exiſtimo; ſi *Mercurialis* & *Riverius* ſæpe duplices tertianas pro quotidianis habitas eſſe contenderint, id verum eſſe negari nequit; ſi autem non niſi raro occurrere febres crediderint, quæ quotidie exſurgant & deſinant, & deſinere videantur, id nec experientiæ nec rationi conſentaneum eſt; imo & celeberrimis Practicis hanc tribuere opinionem indignum eſt; cenſuerunt ii haud dubie quotidianas febres raro obſervari, quales ab antiquioribus deſcriptæ ſunt.

Ego quidem ut quotidianam febrim rarius omnino occurrere quam vulgo exiſtimatur, ita & ipſam non adeo eſſe infrequentem ac quibuſdam viſum eſt crediderim; in eam me adduxit opinionem experientia, quæ ejuſmodi febrem mihi ſæpius obtulit; at ſemper ex obſtructione, ex cujuſdam partis arcana læſione, vel ex miaſmate quodam hoſtili humoribus immixto, eam repetendam eſſe mihi viſum eſt: non idem profecto eſt ejus inceſſus nec exitus in ſingulis ægris; varia eſt imprimis remiſſio, cum modo levior ſit, modo ad apurexiam accedere videatur; ideo haud dubie quin vera quandoque adeſſet intermiſſio plerique non dubitarunt, quod vero ſpectat exitum, is plane diverſus eſt; nunc citius, alias tardius ſolvitur morbus; eſt ubi multa relinquat ſui veſtigia, alias vero pauca, imo ferme nulla ſuperſunt.

CAPUT XVI.

Quid ex præcipuis febrium ſymptomatibus ſequatur aut metuendum ſit.

SED jam ut ad veram febrem intermittentem redeamus, ejus inquiremus reliquias; eæ quidem, quas recenſebimus, perpetuæ non ſunt; talis enim præeſt œconomiæ animali vis, ut cauſæ febrilis inſultus plerumque ſuperet, & omne avertat diſcrimen; non hic ergo quæ ſemper impendeant, at quæ aliquando occurrunt aut occurrere poſſint in febrium intermittentium decurſu pericula oſtendere eſt animus.

Vidimus quidem quid ſtatim efficeret frigus, at ex eo quid deinde impendeat non minus patet; dubium ſane non eſt quin ex conſtrictione, quam inducit, ex ſanguinis in pulmone & in hepate ſtagnatione, prædiſponantur partes ad varias obſtructiones, & inordinatos motus; ideo v. g. hepar toties afficitur; ex eo conſtricto non exit bilis per colatoria, fiunt lividi ægri, digeſtionis labefactatur officina; alia viſcera non abſimili læduntur ratione, nec ſuo munere fungi poſſunt.

Sed cordi poteſt inferri vis ſumma; ventriculi longe fieri poſſunt ampliores, ut & venæ cavæ, hinc palpitationes & ſanguineæ concretiones, quibus aliquando obnoxii ſunt qui febrem intenſiorem diuturnamque paſſi fuerunt; non minus

ad-

adverſa eſſe poteſt ſanguinis in pulmone ſtagnantis moles; ex ea aliquando prodiit ſanguinis ſputum, vel aſthmatis ſpecies; nec profecto hæc frequenter occurrunt; at ſufficit ut occurrere poſſint.

Aliud aliquando, ut innuimus, impendet periculum ex frigoris vi; eo deprimitur vitalis ſpiritus, nec is aliquando poteſt reſurgere; ita nimirum aliquando obruitur, ut in frigore animam ponant ægri, neque id profecto mirum, cum pulſus aut evaneſcat aut parvus ſit & frequens, cum perturbetur reſpirationis inceſſus, cum ſtagnent denique liquida in cerebro, ut in aliis partibus; inde autem patet periclitari ægros, ſi longior ſit refrigeratio; vidi multos in tantum adductos diſcrimen, ut niſi ars occurriſſet, e medio ſublati eſſent; id equidem in adultiori ætate infrequens eſt periculum; ſed in ſenectute non raro impendere ſolet.

Non ita ineſt in calore febrili periculum; cum quis e frigore emerſit, ei in tuto res eſſe ſolent; at num inuritur partibus labes, quæ ſenſim augetur & tandem inexſpectata erumpit? aſcendit calor in febre intermittenti, in tertiana v. g., ad gradum trigeſimum nonum circiter, altius vero progreditur in febribus compoſitis; ſi autem in quodam bene valente eveniat, ut quotidie, aut alternis diebus, per ſex aut octo horas eo incandeſcat calore, qui ne ſummo quidem labore, motu, aut cœli æſtu in corporibus excitari poſſit; an id tutum erit, licet per reliquum diei & noctis ſolita reſtituatur temperies?

De eo judicium ferri poteſt, ex iis, quæ ſummum calorem ſequi ſolent; quanta rarefactio in

partium molliorum textu? quanta diſtractio in tenerrimis ſtaminibus? quænam mutatio in liquidis, in quæ tantum poteſt naturalis calor? mirum profecto, cum hominibus & animalibus per ſummum æſtum incedentibus tantopere noceat calor, ut eis toties mortem intulerit; mirum, inquam, ægros non in majus, quam ſolet, adduci diſcrimen in ſummo febris intermittentis ardore.

Ut ut tamen periculum effugiant, cum calore torrentur febrili, lædantur eo neceſſe eſt partium functiones earumque organa; & quidem in nonnullis ægris quanta jactatio in paroxyſmorum æſtu? vidi aliquando qui circa regionem cardiacam tantam experirentur anxietatem, ut ei ferendæ omnino eſſent impares; non minus anxii erant ob pulmones nimium æſtuantes, caput ipſum ardere videbatur, nec profecto dubium quin tenerrimam cerebri medullam attingat hujus ardoris vis, licet in ejus medullæ textu tenuiſſima ſint arterioſa vaſcula.

Quanta autem his partibus aliiſque hac deflagratione veluti exuſtis poteſt inuri labes? graviſſimum profecto inſtanſque videretur periculum, ſi ſoli crederemus theoriæ; at naturæ vires experientia uſuque cognitæ nos ab hoc metu ad ſpem in febribus ipſis, quibus torrentur ægri, plerumque revocant; vegeti ſunt cum deferbuit calor intenſiſſimus; imo in apurexia perfecta levior eſt ſæpiſſime quam in ſtatu naturali; ut certus nihilominus haberi debet *canon*, partes multa neceſſario pati a ſummo paroxyſmorum æſtu, eoque ſæ-

pius

pius recurrente ad plurimos morbos viam ſterni poſſe.

Huc accedit vaſorum actio, quæ calori reſpondet; ea tanta eſt per paroxyſmorum decurſum, ut dupla ſit aliquando pulſus frequentia, & multo major cordis impetus; hinc vero patet in genere quid patiantur ipſa vaſa, tum majora, tum quæ tenerrimam in pulpam abeunt; læduntur neceſſario partium textus, earum colatoria & functiones; ex intenſiori ſanguinis motu pendet dolor capitis acerrimus, ſpiratio frequentior & difficilior; quod vero periculoſius, inevitabilis eſt ſtagnatio quædam in vena porta, & in hepate; fieri enim nequit, ut liquida per hujus partis ambages ea celeritate progrediantur, quæ, ut præcaveantur congeſtiones, neceſſaria eſt.

Sudores, licet profuſi, non idem minantur periculum; ſed his, licet ſublevetur corpus evaneſcente paroxyſmo, non tollitur febris cauſa; quin imo hoc levamine exhauriuntur ægri; ſi quis v. g. propter errores in victu aut poſt crapulam alternis diebus ſudoribus diffluat per tres aut quatuor horas, an id ſalubre tandem eſſe poteſt? num potius cum per id tempus experientia teſte quinque aut ſex exhalare poſſint liquidorum libræ, inde quoddam impendet diſcrimen? id ſaltem dubium eſſe nequit in profuſo, diuturnoque & repetito febrili ſudore; eo enim graviores & magis contumaces portendi ſolent paroxyſmi.

Noxius erit imprimis ſudor, ſi nimium urgeatur ſub paroxyſmorum exitum; quæ erant inter-

mittentes febres tunc in continuas abeunt; nec profecto id mirum videri debet; cum enim inter ſudandum rubeat corporis ſuperficies, eodem rubore ſuffunduntur internæ partes; unde adigitur ſanguis in minima earum vaſcula, atque in iis congeſtus, irritationem, motum validiorem, ac proinde febrim graviorem poteſt inducere; hæc quidem, nec immerito, calori potius quam ſudoribus ipſis tribui poſſunt; ii tamen per ſe ipſos ad graviora exſuſcitanda ſymptomata multum conferunt; eos inſuper alii inſequuntur effectus, qui perturbandis œconomiæ animalis motibus omnino apti ſunt.

Non aquea ſimpliciter, quod & ipſum malum eſſet, per cutis colatoria amandantur; ſucci ipſi craſſiores, partibuſque nutriendis & reparandis dicati elabuntur; unde neceſſario debiliora fiunt vitæ organa; in ejuſmodi cutaneos effluxus ita proni fiunt aliquando ægri, ut nulla de cauſa iis diffluant per noctem imprimis; abacta febri ſæpe remanet hæc in ſudores propenſio, vixque coerceri poteſt; at quod majoris eſt momenti, ſuperſtes eſt tunc morbi fomes, aut alicujus partis vitium.

His profecto effluviis relinqui in vaſis craſſiora certum eſt, & inde multa impendere poſſunt; huic tamen theoriæ non nimium eſt indulgendum; ſolvuntur ſimul craſſiores ſanguinis partes; id præſtat motus & caloris vis; non minus ad hanc diſſolutionem confert bilis acrior & alkaleſcens, quæ in ſanguinem reaffuſa per omnes diffunditur vaſorum ambages; aliis humoribus ſimilis conciliatur acrimonia,

ut patet puſtulis circa os prodeuntibus : hinc ægri, qui diutius febri laborarunt, exſangues luridique videntur.

Quam immutentur humores patet ex ipſis urinis; dum viget febrilis motus, flammeæ ſunt, ut innuimus; at evaneſcente paroxyſmo ſpiſſiores, ſpumoſæ, rubræ admodum, colorem ſibi adſciſcunt lateritium; eminet imprimis color hic in ſedimento, quod copioſum eſſe ſolet; & nil continet tamen niſi terram rubore tinctam, ut ſæpius expertus ſum per filtrum depurato lotio; hoc autem colatorio idem fit, ac in renibus per tempus, quo circuitus intenditur vis; nam filtro tranſcolatur flammei coloris liquidum, dum remanet craſſior terreſtriſque ſubſtantia, quæ tranſire nequit.

Ejuſmodi vero urinæ ita febribus intermittentibus propriæ ſunt, ut, in tertianis ſaltem, nuſquam ferme abeſſe ſoleant, ſi genuinæ ſint eæ febres; imo earum evanuiſſe fomitem nequaquam ſtatui poteſt, ſi colorem lateritium retineat lotium, aut rubedine quadam tinctum ſit; fallit hoc aut fallere poteſt tantummodo, cum adeſt morbus quidam hepaticus; ſiquando autem adſit materia alba copioſa ad fundum vaſis dejecta, id in bonis numerari debet, & tanquam criſeos alicujus ſignum; hoc autem in quacunque febri intermittenti me non obſervaſſe fateor; occurrit mihi tamen in quibuſdam ægris, perfectamque ſolutionem inde ominari non dubitavi.

Deeſt ſolummodo ſignum hoc, id eſt lateritium ſedimentum, in quibuſdam febribus inter-

mittentibus; quæ autem eo ſæpius carent, ſunt vernales imprimis, & quæ in ipſo autumno leviores ſunt, tum & aliæ validiores circa ipſarum initia, id eſt poſt primos paroxyſmos; ſed tunc vel flaveſcentes ſunt vel ſubrufæ; accedunt ſcilicet tantummodo ad eas, quæ rubram hypoſtaſim ſolent dejicere; quædam denique occurrit varietas in quartanarum febrium decurſu; ſed de ea alias erit dicendi locus.

Variam etiam faciem præ ſe ferunt urinæ in iis febribus, quæ in continuas aut remittentes abeunt; eſt ubi a colore naturali vix deſciſcant; alias colorem rubrum, eumque ſaturatum præ ſe ferunt, non raro denique, certis ſaltem temporibus, lateritium demittunt ſedimentum in remiſſione: hæc autem varietas ex *ſtricto* & *laxo* repetenda videtur; ſi urgeat febris & magna ſit partium conſtrictio, exeunt tantummodo per renum tubulos quæ liquidiora ſunt; ſi vero ſubſit laxitas, elabuntur etiam quæ craſſiora ſunt & rubent; unde in ægrorum bonis numerantur; probatur hoc ipſarum febrium continuarum exacerbationibus; in iis enim tenujores ſolent eſſe urinæ,

CAPUT XVII.

De variis affectibus, qui febres intermittentes comitantur.

VIdimus jam quid ex quolibet febrium intermittentium ſymptomate ipſis proprio & perpetuo timendum ſit; nunc perluſtrandi ſunt effectus, qui ad nullum ex ipſis ſymptomatibus, ſed ad omnia ſimul ſumpta aut potius ad ipſam febrim in genere referri poſſint; non ſunt equidem perpetui ii effectus; abeſſe enim aut adeſſe poſſunt; ſed quid mali ex iis redundet in quorundam præcipue organorum functiones inquirendum ſupereſt.

Quod maxime in febre intermittenti familiare eſt, urgent ægros capitis dolores modo leviores, modo acerrimi; ſtatim quidem videtur eorum vim ex ſanguinis in cerebrum impetu eſſe repetendam; ſed eam cauſam incuſare non ſemper licet; eſt enim ſæpe vehementior circuitus abſque ejuſmodi capitis affectu; mentis arcem, ut jam diximus, aliquando aggreditur, convulſiones ciet, lethargum imo & maniam inducit febrile venenum; idem autem cerebri membranas ſtimulat; ſæviſſimus interea inde exortus cruciatus cum febre ipſa ut plurimum ſolet decedere, aut multum de ſua acerbitate remittere.

Aliorum ægrorum querelas audire eſt de ventri-

triculi affectibus; nauſeat ſcilicet, ſubvertitur, a cibis abhorret, ineſt ei gravitatis, ardoris, conſtrictionis ſenſus; ſimul in quibuſdam exſurgunt dolores varii generis; quod vero non minus frequenter occurrit, nec minus negotii faceſſit, eſt ejus viſceris diſtenſio ſeu tumor, is vel in ipſis febribus, quæ non diu excurrerunt, aliquando obſervatur; his vero deſinentibus, in multis ægris ſuperſtes eſt; ſe prodit tamen imprimis in illis, quæ diuturnæ fuerunt, ſive remediis perperam impugnatæ.

At frequentior in diuturniori febre, variuſque omnino ſolet eſſe alius affectus, tumor nimirum totius abdominis; id quidem aliquando mollius eſt cum in molem aſſurgit; & quod ſane infrequens inſtar pergameni exſiccati occurrerunt mihi in quibuſdam ægris ejus integumenta; ſed ut plurimum, quod negotii parum non faceſcit, diſtentum & quaſi conglomeratum reperitur, eſt ubi tanta ſit ejus renitentia atque durities, ut marmoris inſtar eſſe videatur; nec tamen, quod omnino mirum, quidquam incuſare licet, ut docent cadaverum ſectiones; præter aerem vi ſua elaſtica inteſtina expandentem.

Procedunt hæc omnia, ut plurimum, ex læſis hepatis functionibus; tollitur nimirum aut imminuitur bilis ſecretio, acrius fit recrementum hoc, & veram refert amurcam; ſi vero gravior ſit febris, queruntur aliquando ægri de gravitatis ſenſu, de anxietate inde orta, de doloribus in hypochondrio dextro ſævientibus; levem quidam patiuntur hepatitidis ſpeciem: inde autem patet

quare

quare flavus aut lividus inducatur vultus color, & quam facile ſit ut febri intermittenti ſuccedat icterus, qui in certis epidemiis ſæpius occurrit.

Sunt & multa alia, quæ ex eodem ſcaturiunt fonte; quid mirum v. g. ſi viſceris ita ad vitam neceſſarii tam gravi læſione lædantur cæteræ partes circumpoſitæ? ſi irritatione & ſpaſmorum vi intumeſcat inteſtinalis tubus? ſi denique ipſæ partes externæ tumidæ fiant? non longe ab initio febris aliquando eum tumorem obſervavi in certis epidemiis; poſt ſeptimum ſcilicet aut octavum diem; ſerius tamen accidit ut plurimum, & pendet ſemper, ut modo diximus, a viſcerum vitio.

Aliorum inſuper malorum cauſa & fons hepar eſt in intermittentium decurſu; colligitur namque in hujus viſceris textu, & ſtagnat ſanguis; unde progredi nequit, qui in venam portam appellit; eo igitur turgeant oportet cæteræ abdominis partes, cum in iis ſimul moram patiatur, & continuo in eas affluat; turgebit ideo imprimis lien, qui toties in molem excreſcit, turgidi erunt ventriculi & inteſtinorum parietes, intumeſcet ſimiliter affluentibus liquidis meſenterium, in quo tot & tanta diſſeminantur vaſa; inde autem obſtructiones, diarrhœæ putridæ, dyſenteriæ, periculoſi ſanguinis effluxus; ſolent hæc omnia occurrere in febrium diuturnitate & in certis epidemiis.

Inde patet flatuum vim in febribus non ſolam eſſe cauſam, quæ alvum in tumorem attollat; au-

ge-

getur, ut modo diximus, viſcerum moles; colliguntur, & concreſcunt nonnunquam varii humores in certis locis; his fluidis tum intra vaſa concluſis, tum deviis, intumeſcit variarum partium textus, & ſubſtantia præcipue cellularis, quæ tanquam ſpongia undique circumducta haberi debet; patebit id ex variis obſervationibus; tum imprimis ex corporum, de qua mox agemus, ſectione; non mirum ergo ſi exploranti occurrat aliquando abdomen inæquale, & ſi videatur quaſi tumoribus consitum, si durum denique reperiatur, aut a naturali recedens mollitie; fieri enim nequit, quin irritatione fibris concilietur rigiditas.

Magis mirum eſt profecto, ejuſmodi aut flatuoſo prodeunte tumore, febrim in multis remittere, imo deſinere aut naturam mutare; videtur febrile venenum cum in alvum vim ſuam exerit, reliquum corpus deſerere, aut potius alia ratione illud vexare; eodem ſe res habet modo in partium infernarum, de quo modo agemus, tumore; cum ſcilicet exſurgit ejuſmodi tumor, decedit febris, aut ſpes eſt fore ut brevi decedat; non tamen id perpetuum eſt; ſunt nonnunquam quos urgeat febris, cum abdomen & infernæ partes, tum aliæ intumeſcunt; novus exoritur tunc morbus, febribus, ex queis originem trahit, additus.

Sunt hæc profecto graviſſima, ſed his non ita nos deterreri oportet, ut illico exiſtimemus vitæ impendere diſcrimen; pueri v. g. qui ſunt eiuſmodi tumoribus maxime obnoxii, eo aliquando videntur eſſe redacti, ut nil præter mortem exſpectare fas ſit; ii tamen veluti reviviſcentes emergunt

gunt non raro; idque nonnunquam ſolius naturæ beneficio; in adultis ſimiliter, cum partium omnium abdominalium læduntur functiones, & vix trahi poſſe videntur vitæ reliquiæ; in adultis, inquam, ita febrium vi per plurimos menſes, imo per annum confectis, omnia nonnunquam in melius abeunt; multos remedia rite adhibita, multos ipſa cœli mutatio & adventans æſtas ita reſtituit, ut eos ægrotaſſe non crederes.

Id vero non aliunde deduci poteſt, quam ex duplici cauſa; & primo quidem in tam miſero rerum ſtatu omnia ex ſolo febrili veneno pendere poſſunt; poteſt id & ſæpe ſolet hærere in univerſis corporis latibulis; ita vero aliena ſub ſpecie latens, viſcera ſtimulat, liquida in ipſis morari cogit, & omnia denique præſtat, quæ obſtructionibus periculoſis ſolemus tribuere; atqui tamen fieri poteſt ut ejuſmodi cauſa, quæ extranea eſt, irritentur ſolummodo nervi, vel turgeant vaſa & adhuc pervia ſint; patet id ex eo quod levi aliquando remediorum auxilio tollantur, quæ tantum incutiebant timorem.

Ipſa febris intempeſtive ſuppreſſa & iterum reſurgens abdomen nonnunquam penitus reſtituit, licet turgidum & diſtentum; inde autem, tum ex iis, quæ modo diximus, elici poteſt *canon*, qui parvi non eſt momenti, & qui experientia confirmatur; obſtructiones nimirum, quæ a febre intermittenti ortæ, peculiares ſunt, nec adeo periculoſæ, atquæ illæ, quæ ex aliis cauſis ortum trahunt; inde fit ut remediis & ſpei ſæpe locus ſit, cum de ægris actum eſſe videtur.

CAP.

CAPUT XVIII.

De affectibus, qui poſt curatas febres ſuperſunt.

HÆC ſunt, quæ in ipſo febrium decurſu ſolent occurrere; at multa proſtant, nec ea parvi momenti, quæ eiſdem curatis ſuperſunt; & primo quidem dolori capitis acerrimo obnoxii ſunt multi ægri; tanta vi inſurgit aliquando hic dolor, ut in eum videatur commutatus morbus, medium videtur diſcindi caput, nec ullus conceditur quieti locus; tunc autem penitus exceſſiſſe febrile venenum credere non licet; fuit tamen ubi poſt tantos cruciatus evanuerit, vel ſponte naturæ, vel ſola diluentium opera.

Alias fugata febri diffluit undique totum corpus; nocte imprimis urgent ſudores, & aliquando tanta vi erumpunt, ut his brevi exhauriantur vires; in tanta autem illuvie, longe ſimiliter a vero aberraret, qui curatam eſſe febrim crederet; converſum tum videtur febrile venenum in cutis organa; in ejuſmodi autem converſione nil mirum eſſe videbitur, ſi recordemur occurrere aliquando febres mere ſudatorias, ſi ita loqui liceat: vidi nuper hominem, qui ſudore diffluebat, tertia quaque die recurrente, & per ſex aut octo horas vigente, abſque ullo ferme febris veſtigio; hæc autem periodica inundatio non niſi cortice Peruviano repreſſa eſt.

Po-

Poteſt quidem quandoque ſudor in partium refundi debilitatem; at tanto non exundat impetu, niſi adfuerit morboſa cauſa viſceribus infixa; ex eo fomite prodeunt, ut plurimum, copioſiores cutis effluxus, aut ex aliquo miaſmate in eam delato; hinc fit, ut refrænari vix poſſint; & ſi coerceantur incongrua medendi ratione, res in pejus ruere ſolent, ut mihi multiplici conſtat obſervatione.

Ex iis omnibus, quæ febri fugata ſuperſunt, aut ſupereſſe poſſunt, multo graviora ſunt, quæ in viſceribus hærent vitia; & profecto, cum tanta ſit aliquando veneni febrilis vis, non mirum ſi ſui multa relinquat, eaque diuturna veſtigia; prodeunt autem ea imprimis in hepate, ex eoque originem ducunt multi affectus; talis eſt v. g. icterus, qui, ut diximus, in certis epidemiis frequentius occurrit quam in aliis; aliquando equidem criticus eſſe obſervatur, ſed ſi poſt certum exoriatur ab initio tempus, longius nimirum ab eo, ſi denique ipſe gravior & diuturnior fuerit, ſuperſunt tandem in bilis colatoriis obſtructiones, quibus vix levari poſſunt ægri, & quæ lethales non raro fiunt; in ſcirrhoſos enim, ideoque immedicabiles abeunt tumores.

Sunt & aliæ partes, in quibus non leviores remanent febris reliquiæ; in abdomine fiunt ſtagnationes, ſeu congeſtiones; in molem attollitur lien, modo majorem, modo minorem, & quandoque maximam; eſt ubi in duritiem ſcirrhoſam abeat pars hæc, cujus adeo incertus uſus; alias mollior ipſa fieri ſolet, & in merum magma

pu-

putridum diſſolutum, nigrum atramenti inſtar, immutari; ejuſmodi morbo poſt febrem intermittentem male curatam laboravit & obiit Vir Illuſtriſſimus.

Inteſtina vix functiones ſolitas obeunt; confluit in eorum cavum aliquando ſanguis niger & craſſior; nec profecto id mirum cum objecta ſint ei in hepate repagula, & proinde in vena porta hæreat; in ea autem congeſtus ſibi viam facit in tubum inteſtinalem per diſtenta nimium, ideoque tandem hiantia vaſcula; inde illæ diarrhœæ dyſentericæ, de quibus egimus.

Pulmones ipſos febrilibus reliquiis affectos obſervavi; erat quidam, qui per ſeptem menſes febri tertiana decumbebat; ea tandem cum defunctus videretur, vultu livido & ſubflavo latentis, & corpus totum depaſcentis morbi præ ſe ferebat vim; marcore interea ferme confectus, tuſſi laborabat acriori; unde in phthiſim propendere credebatur; ſed re propius ſpectata, ſub tertiam quamque diem, graviori ſtimulo urgeri pulmones obſervatum eſt, tum febrim nocturnam leviter inſurgere. His autem ductus non corticem quidem Peruvianum exhibere viſum eſt; nimia copia, & abſque aliis præmiſſis remediis jam ingeſtus fuerat; ſed juſculis aperientibus, & alvum laxantibus incumbere ſatius exiſtimavi; idque non ſine ægri levamine; brevi enim ceſſit febrilis motus, tuſſis omnino evanuit, atque partium omnium functiones reſtitutæ ſunt.

Similem in alio ægro affectum, magiſque periculoſum obſervavi; laborabat quidam febre re-

mittenti mali moris, quæ emeticis & purgantibus exaſperata, vim ſuam tandem in pulmones dejecit; hinc tandem hæmorrhagia, quæ alio ex fonte derivanda videbatur; ea autem compreſſa, poſt aliquot dies remiſit febrilis motus, imo evaneſcere omnino viſus eſt; at cum omnia ſalutem reſtitutam ſpondere viderentur, ecce ſpirandi difficultatem, quam vel in leviori motu experiebatur æger; magnum vitæ diſcrimen intentabant omnia; criſi tamen inexſpectata per urinæ vias defluxit læſæ reſpirationis cauſa; non equidem natura ſola opem tulit; multum profuere pilulæ ex ſcilla, ſerum lactis & cremor tartari; quin etiam iiſdem profligata eſt febris quartana, quæ in malorum cumulum exorta identidem ſe efferre ſolebat.

Patet inde, ex tot partium ſcilicet obſtructione aut læſione, quam facile ſit, ut febribus ſuccedat aqueus in variis partibus tumor; ſtatim atque remittit ipſarum vis, pedes in multis tibiæque œdemate laborant; fit autem hæc illuvies in textu cellulari, tum propter obſtructiones, quæ ſuperſunt, tum propter veneni febrilis vim in partes infernas converſam. Hinc poteſt haberi ut ſignum fatiscentis febris ejuſmodi tumor, aut potius ejus cauſæ e fomite ſuo depulſæ & deviæ; pueri autem minus huic intumeſcentiæ ſunt obnoxii; incidit etiam potius in tenujoris ſortis homines, ſive quia minus accurata fuit medendi ratio, ſeu quia nimio fracta labore corpora in obſtructiones magis prona ſunt.

In verum hydropem aſcitem abit ſæpe hæc pe-

dum tibiarumque intumeſcentia; non minus frequens eſt leucophlegmatia univerſalis; in certis tamen epidemiis ſæpius ſe prodit; anno elapſo v. g. intumeſcebant pedes, tibiæ, brachia & manus; pulmones ipſi illuviei hujus expertes non erant; maxima aderat aliquando ſpirandi difficultas; tuſſis inſtabat acrior, & tunc imprimis, cum omnes obſideret partes aqueus tumor; frequentiora autem hæc erant, ſi febres fuiſſent abnormes, remittentes continuæ v. g. & dein remittentes.

Non minus gravia tamen hæc ſunt aliquando in ſimplici febre intermittenti. Vir triginta annorum nuper febre tertiana laborabat; ea per plures menſes neglecta, in febrem abiit inordinatam; huic tandem ſucceſſit leucophlegmatia, qua omnes intumuerunt partes, & quæ nullo potuit debellari remedio; quod mihi magis mirum viſum eſt, nil ferme in viſceribus, quod incuſari poſſet, repertum eſt; inde autem ſequitur ſolo febrili veneno per univerſas partes diffuſo, oriri poſſe univerſalem illuviem, quæ tandem mortem inferat.

Sunt alia, quæ non ita frequenter occurrunt a Scriptoribus variis memorata; fateor me tonſillarum inflammationem, de qua egit *Sydenhamus*, in nullo obſervaſſe ægro: ſcorbutus quidem in regionibus ad boream ſitis potius quam apud nos ſolet occurrere; in caſtris tamen febres autumnales ſæpius excipit: diabetes vero, qui ex iis febribus in provectiori ætate impendere dicitur, non niſi una vice ſe mihi obtulit; erat vir quadragenarius febre tertiana laborans, eaque pertinaci, is tandem accedente ingenti urinæ

næ profluvio non pejus habuit, ſed intra quindecim dies perfecte reſtitutus eſt.

Maniæ ſpeciem, febribus quartanis præcipue ſupervenientem, adducit *Sydenhamus*, & nullam de ea miratur ab Authoribus fieri mentionem; mihi quidem in uno tantum ægro occurrit ferox ille affectus; laboraverat horti regii præfectus febre intermittenti; is, ea deſinente, in furorem, qui vix poterat coerceri, ſtatim incidit; nullo tamen ferme adhibito remedio intra nycthemeron perfecte quieverunt animi & corporis inſolentes motus; nec febrilis morbi ullum eſt relictum veſtigium.

CAPUT XIX.

De vario relapſu in febres intermittentes.

Liquet ex iis omnibus, quæ patiuntur viſcera, quam facile ſit ut febrile venenum diu in iis lateat & inexſpectato toties reſurgat febris; ita in relapſum prona eſt, ſi quibuſdam credendum, ut circa diem & horam, quibus invadere ſolebat, adhibendæ ſint cautelæ; obſervatum ſcilicet fuit a nonnullis poſt ejus ſolutionem, atque etiam poſt longam paroxyſmorum intermiſſionem, eodem tempore, quo primum prodire ſolebant, eos reſurgere; imo impendet periculum, ne ſi quid eadem peccetur in quam incidebant hora, iterum ii exſuſcitentur; at ſane mihi dubium eſt, num accurata fuerit obſervatio.

Quidquid autem ex iis ſit, certa conſtat experientia, quod ſi febris radicitus curata non fuerit, non niſi per certum tempus ad quindecim v. g. aut quatuordecim dies ea inducias ſoleat concedere; non tamen id perpetuum eſt, ſed ut plurimum tantummodo ita ſe habet; & primo quidem, intra pauciores dies poteſt iterum ſe exerere mali fomes; deinde vero eſt ubi longior omnino interjiciatur mora: ſilet v. g. per menſem, at, quod magis mirum, non raro per hiemem ſe proripit febris, & verno reſurgit tempore; deſinit iterum eadem per æſtatem, autumno nihilominus quandoque reverſura, niſi ei naturæ viribus aut remediorum occurratur opera; ſæpius tamen inter hæc ſtadia exſuſcitatur variis de cauſis.

Per ſe ipſum equidem latens febrile venenum poteſt excitari, & ita reſurgit ſæpiſſime; ſive enim acrius evadat, ſive antea ſparſæ quodam in loco recolligantur ejus vires, erumpit tandem in paroxyſmos; ſed multum juvari poteſt ejus excandeſcentia; & primo quidem cum ſint cauſæ non ignotæ, quæ febrim ſimplicem tertianam in duplicem faceſſere cogant; cum ſimiliter quartanam duplicare, imo in continuam, quod tamen raro occurrit, commutare poſſint, nonne eædem ſopitum & ſilens febrile venenum exſuſcitare aptæ ſunt?

Eæ autem cauſæ, ut cuique notum, multiplices ſane ſunt; remedia nimirum calidiora & alvum validius ſtimulantia, vel intempeſtive uſurpata; deinde vero animi pathemata; inordinata, ut

dixi-

diximus, victus ratio, alimenta rancida, putrescentia, glutinosa, austera; ea, inquam, omnia ad sopitam exsuscitandam febrim multum possunt; frigus imprimis, ut merito jam alibi statuimus, metuendum est; in ipso enim sano corpore, prima secum adducit intermittentium symptomata, horrorem, rigorem, tremorem &c.

Sed sicut variæ sunt eæ causæ, ita varii esse possunt in febrem relapsus; sæpe cum restitutionis illuxit spes, omnia in pristinum relabuntur statum; iterum scilicet prodeunt paroxysmi, variaque est eorum vis, & per varium excurrunt tempus; desinunt deinde, iterumque exsuscitantur; ut vero sæpius resurgit alterna paroxysmorum series, ita nonnunquam unus aut alter occurrit; hominem nuper vidi, qui cum tertiana conflictatus esset febre, eaque liberatus videretur, tandem die quindecima paroxysmum patiebatur, eumque unicum; omnes enim sustulit febriles reliquias. At est ubi veluti sparsim & inordinate exsurgant paroxysmi, nec quidquam primarii typi retineant; erat quidam, qui tertiana statim laboraverat; siluit hæc per menses duos aut tres; dein ita incessit, ut modo quotidie, modo altera quaque die, alias quarta & quinta resurgeret: sunt interim quæ magis aut alia ratione abnormes sint; nam continuarum ritu prodeunt identidem, & postea intermittentium sequuntur morem; ita protrahuntur aliquando per longum tempus, variisque ægri conflictantur symptomatibus sibi inordinate succedentibus.

Hæc quovis tempore occurrere possunt, ac frequentius sese in certis produnt epidemiis; alter-

nas ejuſmodi facies, ſive alternum quietis & motus febrilis reditum obſervavi, imprimis in iis febribus, quæ in paludoſis graſſabantur locis; cum eæ per certum excurriſſent tempus, vix curationem recipiebant, quavis data occaſione ſolebant reſurgere; ſæpe cum reſtituti viderentur ægri, id eſt paroxyſmis liberati, prætervifo fungebantur fato; alii vix ab autumno ad æſtatem uſque vitam trahebant; nec tunc quidem liberabantur omnes; melius tantum habebant multi; reliquiis interim febrilibus, variiſque ſymptomatibus confecti, in primum relabi ſolebant ſtatum.

In ejuſmodi autem relapſu, tum in aliorum temporum & locorum epidemiis, alia mihi occurrerunt; recrudeſcebant quidem paroxyſmi ſtatis horis aut diebus, at perfecta non erat interminſſio; vigebat intercalari tempore febrilis motus & calor internas depaſcens partes; videre erat in tanta febrium contumacia ægros gravius ſe habentes; vix pedibus ſtare ſuſtinebant, luridо erant vultu, aut flaveſcentes; marcore quidam videbantur abſumpti, atque in iis ſtomachus vix ingeſta ferre poterat; duplex autem erat morbi cauſa, quæ unica tantum primo viſa fuerat; alia ſcilicet in viſcerum vitio poſita; tacitam & continuo greſſu incedentem inducebat febrim, alia vero in miaſmate, quod febris intermittentis fomes erat, & periodico circuitu recurrebat.

Eſt ubi ad hecticas magis videantur accedere ejuſmodi febres; evaneſcunt quidem paroxyſmi ſtatis temporibus incandeſcentes, at inſurgit pulſus nocturnis horis abſque frigore aut calore graviter

viter urgenti, & intermedia tempora a febrili motu nuſquam ſunt immunia; hoc imprimis in iis obſervavi ægris, in quibus perverſa methodo curatio tentata erat; occurrunt etiam ejuſmodi reliquiæ in aliis, in quibus aut viſcerum vitio, aut veneni morboſi vi, ſæpius recruduit febris.

Non ultra progrediemur in luſtranda varia relapſuum ſpecie; ſed ſi tam diverſi generis eſſe poſſint, ea eſt, ſaltem juxta quoſdam, febre intermittenti laborantium conditio, ut cum eos ſemel invaſit, & perfecte per criſim & per remedia ſublata eſt, ea per reliquum vitæ tempus non ita tentari ſoleant; pauci ſaltem admodum eſſe dicuntur, qui quartana ſæpius correpti fuerint.

Non tamen hoc ita dictum credo, ut nil poſtea metuendum ſit ex epidemiis, aut ex iis locis, in quibus endemiæ ſunt ejuſmodi febres; cum enim febrili miaſmati undique circumfuſo veluti innatent corpora, fieri nequit, ut ea non tandem afficiat, quæ etiam huic excipiendo minus ſunt idonea; hoc tantum innuere haud dubie voluerunt quidam Medici, ejus veneni viribus minus in genere patere ægros, qui eas experti ſunt: de quartana tamen potius quam de aliis hæc dici poſſunt; multi enim ſunt v. g. qui febri tertianæ ſæpius obnoxii fuerunt.

Quidquid hac de re ſtatuendum videatur, ex modo dictis ſequitur, duo maxime ſpectanda in febris intermittentis reliquiis; & primo quidem, an ſolummodo remaneat fomes, qui febrem ſolito more incedentem reducat; deinde vero an is in affectus quoſdam abierit, & partium principum vi-

tia quædam induxerit; metuendum ſane, nec id immerito, ne ex iis pendeant relapſus; tunc autem vix datur curationi locus, aut ſi abigi febrem intermittentem contigerit, ſuperſunt ægritudines, quibus tota conflictatur vita; remanent præſertim obſtructiones, viſcerum functionibus omnino adverſæ.

CAPUT XX.

An ſalutares eſſe poſſint febres intermittentes cum ſymptomatibus jam memoratis ſtipentur, & in tot abeant periculoſos affectus.

HIS autem, quæ jam memorata ſunt, poſitis, judicari poteſt, an febres intermittentes inter ſalubres naturæ motus numerari debeant? hoc quidem ita ſe habere multi variis argumentis, & Veterum nixi authoritate probare conati ſunt; ſed an certo liquet morbum per ſe ipſum ſalutarem eſſe poſſe, aut ſaltem an id ita in genere ſtatui poteſt, cum tanta labes partibus variis inuratur, & cum ea in tantum præcepſque diſcrimen toties adducantur ægri?

Theoreticæ rationes inania plerumque ſunt figmenta; experientia ſola audienda eſt; ea quidem ſuaſiſſe multis videtur febres, vernales imprimis, ad valetudinem conducere; iis, inquiunt, reſerantur vaſa per hiemem conſtricta & obſtructa; ex earum vi nil metuendum, cum benigniores

ſint,

ſint, & ſponte veluti ſecedant, aut leviori remediorum auxilio; ex iis denique convaleſcentes febribus alacres omnino degere creduntur.

Quod vero non ita liquet, ex aliis febribus benignioribus quidem & ſibi per aliquod tempus permiſſis, idem beneficium reportare ægros multi contendunt; in exemplum adducuntur pueri, qui febrilis veneni opera variis liberari affectibus, & firmiori deinde virium robore gaudere feruntur; at non eo ſubſiſtit febris ſalubrem vim deprædicantium opinio; ipſam quartanam ad longævitatem multum conferre exiſtimant.

In iis febrium encomiis, ſi quæ vera ſint, multa a vero aliena videntur; experientia liquet tantummodo innumeros, qui febri laborarunt, nil detrimenti eſſe expertos, & firmum deinde in iis fuiſſe virium robur, quod alios poſt morbos inſolens non eſt: at inter ipſos pueros nonne multi, febrili veneno exhauſti, & labe viſceribus inuſta, miſerrimam deinde trahunt vitam? num quidam, ut ſenes, periculoſe aliquando decumbunt? aliis vero quis longam annorum ſeriem ſpondere auſit? nonne ex iis multi ſunt, qui brevis omnino ſunt ævi? Si quidam extremum attigerint ſenium, cur febri potius quam inſitis a natura viribus id tribui poteſt?

Hoc tantum aſſerere licet ineſſe febrili motui magnam vim; eo quandoque tolluntur ſtagnationes, aperiuntur vaſa minima, quibus imminebat obſtructio; additur robur partibus, & imprimis vitalium functionum organis; eliminantur per ſudoris ſpiracula noxii humores; liquidis remanentibus

bus nova inducitur craſis, ſeu totus immutatur corporis habitus.

Mirum ergo videri non debet, ſi febres quibuſdam mederi poſſint morbis, ut epilepſiæ v. g. & melancholiæ; fuit hæc *Hippocratis* doctrina, variis deinde obſervationibus comprobata; non tamen ita eſt accipienda ut vera ubique reperiatur; febri quartana ſuperveniente, ea ſolummodo tolli poteſt epilepſia, quæ levior eſt, aut quæ ex quadam ſtagnatione, vel ex miaſmate retroacto ortum trahit; non magis certa eſt melancholiæ per febrilem motum curatio; ſi gravior ſit ejus morbi cauſa, vel altius infixa, non ſolum ejuſmodi non obſequitur remedio, ſed eo ſolet exaſperari.

Magis proficua eſt febris vis, cum laxior eſt corporis compages, & languet partium vitalium actio, cum inſunt œdematoſi tumores, aut leucophlegmatiæ ex motus defectu prodeuntes, cum inſurgunt convulſivi aut inordinati nervorum motus, ut in mulieribus hyſtericis, cum rheumatici vagique imprimis ſæviunt cruciatus, cum denique ſcabie fœdatur corporis ſuperficies; proſtant apud varios Scriptores obſervationes, quibus ejuſmodi morbos, imo & podagricos affectus, febri intermittenti ſublatos eſſe probari poteſt; cephalæa ſimiliter, cordis palpitatio, dolores certis partibus infixi, per febrilem impetum abſceſſiſſe, aut ſaltem ſiluiſſe, certum eſt; liceret mihi hæc omnia nonnullis confirmare exemplis, e propria experientia petitis; ſed his ſuperſedere ſatius viſum eſt.

Hoc

Hoc tantummodo iterum monendum ducimus, non perpetuas esse ejusmodi curationes; ex iis ipsis affectibus, de quibus jam egimus, & in quos febris multum potest, multi sunt, qui ei superstites fuerint; imo quidam, ipsa curati per aliquod tempus, prodierunt deinde, nullatenus immutati; si quando autem penitus tolli possint, maxime in puerili ætate; tunc enim circuitus aucto impetu, & profuso sudore, magna humoribus & partibus solidis induci potest mutatio; vitali insuper spititui magna potest addi vis; unde necesse est, ut multæ tollantur ægritudines.

Quod eos spectat, qui non peculiaribus his morbis, de quibus egimus, laborant, aliquot paroxysmi febriles valetudinem quidem firmare, aut leviter labefactatam restituere possunt; si tamen graviores fuerint, aut diuturniores, non solum salubres non erunt, sed noxam inferent, & eo quidem magis periculosam, quo tenerior viscerum textus, maxime autem adversa erit febrilis vis, si eorum læsæ sint functiones; sint v. g. icterici, aut in tussim proni, ab iis nil boni ex febribus exspectari poterit; hoc saltem ut plurimum verum est, nec aliter se habere potest, nisi forte fuerint succi quidam noxii, qui hos inferant affectus, & qui febris vi immutari vel expelli possint.

Eo referri possunt omnia ferme, quæ de febrium salubritate statuere licet; imprudenter profecto his multi habenas laxant, diutiusque naturæ committunt; non tamen ita benigne, ac sibi fingunt, decurrere ubique solent ejusmodi morbi:

Foreſtus quidem neminem ex tertiana febri occumbentem per quadraginta annorum ſpatium vidiſſe teſtatur; non ergo graſſantes & magnam ſtragem edentes vidit epidemias; præterea vir ille, veris febrifugis deſtitutus, num obſtructiones hepatis aliorumque viſcerum lethales, tandem affectus ipſius febris comites aut reliquias obſervavit? neſcio an longius non proceſſerint alii, qui eam ut verum habuerunt antidotum; peſti adverſam fuiſſe tradit qui *de morbis Bredanis* egit Scriptor; ea enim, inquit, dum vigeret, ægros ab omni contagii afflatu immunes ſervavit.

LIBER SECUNDUS

DE FEBRIBUS

QUÆ AB INTERMITTENTIUM MORE DEGENERES ALIENAM INDUUNT FACIEM.

CAPUT I.

De febribus compoſitis & larvatis in genere.

EJuſmodi eſt ſimplicium febrium intermittentium inceſſus, iſque facile dignoſcendus; at ſæpius immutari ſolet, & cum alieno, & devio feruntur greſſu, non ita patet, etiam ſedulo inſpicientibus, earum natura & origo; abeunt eæ in compoſitas, & quamvis ex fomite intermittentium ortum trahant, intermittere de-

desinunt; continuarum enim progrediuntur ritu; inde autem exsurgit quæstio, num scilicet eædem sint, aut quid ex proprio servent ingenio? vel potius num veræ sint continuæ, veluti aliæ, quæ ex diversis oriuntur causis?

Ut melius hæc pateant, earum febrium, quæ sub aliena specie prodeunt, tradenda historia; & primo quidem nonnulla præmittemus, quæ antiquis observata innotuerunt; non iis equidem immorari mens est, ad opinionum, quæ jam exoleverunt, inanem ostentationem; inquirendum tantummodo breviter, quales Veteribus occurrerint febrium commutationes? ita sternetur via ad eas dignoscendas, quæ experientibus solent occurrere.

Celsus equidem, ab origine omnia repetens, febrium incessum veluti oculis subjicit; *Aliæ, inquit, sic desinunt, ut ex toto sequatur integritas; aliæ sic, ut aliquantum quidem minuatur ex febre, nihilominus tamen quædam reliquiæ remaneant, donec altera accessio accedat; ... aliæ vix quicquam aut nihil remittunt; ... interdum accessiones confunduntur, sic ut notari neque tempora earum, neque spatia possint; ... accessiones etiam, modo singulæ singulis diebus fiunt, modo binæ, pluresve concurrunt.*

Galenus, *Celso* licet doctior, & uberiori experientia instructus, minus accurate febrium effinxit commutationes, variumque incessum; intermittentium tamen ingenium in quibusdam continuis expresse notavit; *amphimerinas*, seu quaque die incandescentes memorat; *tritajophyas*, seu quæ tertia die acrius insurgunt, attingit; quæ denique

que in quartum diem recidunt exacerbationes raro occurrere obſervavit.

Apud inſequentium ſæculorum Medicos accuratiori ſtudio agitari cœpta ſunt hæc omnia; varias ejuſmodi febrium ſpecies fuſius perſecuti fuerunt; ſed iis, ut Veteribus, hoc ineſt vitii, quod tantummodo de veris continuis egiſſe videantur; non definierunt ſcilicet num illarum paroxyſmis inſit quiddam intermittentibus ſolis proprium, aut num revera ex intermittentium genere ſint, & ex earum fomite ortæ, quæ continuo greſſu incedentes ſtatis exacerbantur temporibus.

Quod vero de febrium mixtione, confuſione aut implexu commenti ſunt, a ſedula obſervatione multo magis recedit; nam quotidianas, tertianas & quartanas commiſceri, aut in idem tempus, vel in diverſas horas incidere exiſtimarunt; ſi vera eſſent ea, poſſet inde quædam *continuitas* exoriri; at in genere quæ de confuſis effatur *Fernelius*, de omnibus quocunque modo concurrentibus dici poteſt; nulla, inquit, ſeorſim internoſci poteſt, neque ulla ſimplex, aut pura elucet, ſed ſunt earum ſigna confuſa.

Quæcunque autem ſit febrium intermittentium hæc commutatio, alienam ipſæ non raro induunt faciem, ſub qua earum natura vix dignoſci poteſt; magni igitur momenti eſt, a fallaci externaque ſpecie ad proprium illarum ingenium propius accedere; inquirendum ergo, I. ut ſimplici febri intermittenti, ſeu ejus cauſæ inducatur larva, ſub qua latere poſſit; II. ut eadem febris in mali moris paroxyſmos inſurgat; III. ut in

con-

continuam commutetur, & malignarum apparatum & vim deleteriam æmuletur; IV. qua ratione ab aliis continuis ſecerni poſſit.

CAPUT II.

Ut varie latere poſſit febrile venenum, & in aliena a febre intermittenti erumpere ſymptomata.

CUm ſimplex febris intermittens certum ſequitur typum, atque etiam ſolito incedit greſſu, a natura ſua ſæpe deſciſcit; ſi quædam aliæ ſint febres, quæ ipſam mentiantur, ipſa alios mentiri ſolet affectus; eſt v. g. ubi in quadam parte latere aut colligi poſſit febrile venenum, ita ut hæc pars ſola videatur ægra; deinde vero peculiaria & inſolita ſibi adſciſcere poteſt ſymptomata, in quibus totam morbi vim poſitam credere poſſent inexperti; denique ab intermittentium more omnino deflectens, alias poteſt æmulari febres, eaſque continuas, & quæ alienam a ſuo fomite præ ſe ferant ſpeciem; de iis autem omnibus ſeorſim agemus, & quæcunque larvam poſſunt oculis aut menti objicere proſequemur.

Multiplici ſane ſub larva a ſuo ingenio recedere poſſunt febres intermittentes: in genere qui periodici ſunt affectus ad ipſas, ſilentes licet, pertinent; ipſarum enim ſequuntur typum, & eadem

ra-

ratione curantur; tuſſim convulſivam quinta hora matutina quotidie inſurgentem, ſingultum & hæmorrhagiam periodice recurrentes, cortici Peruviano ceſſiſſe memini; nauſeas, vomitus, anxietates, colicos dolores, palpitationes non abſimili ritu procedere, eidemque remedio ſubjici obſervatum eſt.

Sed ut quæ magis obvia ſunt in exemplum adducam: ſæviunt aliquando pulſu vix immutato dolores acerrimi, ſtatis revertentes temporibus; ſæpius v. g. cruciatum ejuſmodi obſervavi ſupra orbitam exortum, abſque ullo febrili ſymptomate; ſolus tamen aliquando non eſt dolor hic; fuit enim ubi in ipſo ejus exortu palpitationem experti ſint ægri circa locum affectum.

Occurrit & mihi in quodam ophthalmiæ ſpecies, quæ certa hora prodire ſolebat; licet autem ejuſmodi inflammatio, cum aliis ex cauſis oritur, non ita facile ſoleat evaneſcere, brevi periodico illo rubore ſuffuſus in naturalem ſtatum reſtituebatur oculus. Quod vero gravius eſt, cæcitas ſtatis horis, paroxyſmi inſtar rediens, & poſt certum temporis ſpatium ſe ſubducens, obſervata memoratur; nullum aderat febris veſtigium, & tamen cortici Peruviano ceſſit affectus adeo inſolens.

Quod vero dolorem ſpectat, nec quidem in oculis, aut circa eos ſolummodo eſt ejus ſedes; is aliquando aures & ipſos dentes occupat, vel fronti aut occipiti infixus hæret; at capitis latera ei magis obnoxia ſunt; proſtant exempla hemicraniæ terribilis periodice recurrentis, quæ febris

intermittentis ſoboles eſt, aut potius ipſa febris in hemicraniam commutata.

Exſurgit interdum univerſi capitis dolor, qui ejuſdem proſapiæ eſt; hominem vidi, qui eo ita excruciabatur, ut ferme maniaco ſimilis eſſet; ſtatim quidem incerti moris viſus eſt hic affectus; propius tamen re explorata ſe prodidit illius latens ingenium; nam inſurgebat ſemper verſus meridiem acerrima illa cephalalgia; excurrebat dein ſummo cum impetu, at poſt aliquot remittebat horas.

At ut in externa capitis ſuperficie defigitur febrilis cauſa, ita ſingulas quaſcunque partes poteſt aggredi; hominem vidi dolore acerrimo ſub ſcapulis periodice excruciatum; inſurgebant doloris illius paroxyſmi quarta quaque die, & cortice Peruviano repreſſi ſunt: eodem remedio ſedatum vidi veluti nephriticum cruciatum, ſtatis diebus imo & horis prodeuntem; affectus denique rheumatiſmum referentes, & per circuitum redeuntes ſimiliter profligatos obſervavi.

Non mirum ergo ſi partes quædam viſæ ſint febre laborare, reliquis bene ſe habentibus; proſtant non pauca hujuſce febris exempla apud hiſtoriæ Medicæ Scriptores; in quibuſdam ægris medium caput, in aliis brachium, aut crus unum, vel alterutrum, febri laborare obſervatum eſt, dum reliquum corpus nil ſimile experiretur; quod profecto mirum videri debet, fuit ubi omnia febrilia ſymptomata in his partibus ſe exciperent, ut in veris paroxyſmis; & primo quidem ſtatim aderat frigus, deinde vero inſurgebat calor, & ſub-

ſe-

ſequebatur ſudor; aliquando interim aliter varieque afficiebantur partes in quibuſdam; in his ſolus frigoris ſenſus, in aliis vero calor vel motus convulſivus periodice recurrebat.

Quod vero non minus mirum eſt, ſæpe ſæviunt dolores ex cauſa febrili inſurgentes abſque manifeſta febri, etiam cum partes internas obſident; a me obſervatum aliquando memini acerrimum ſtomachi dolorem, eumque periodicum & febrifugis ſublatum, abſque eo quod ullam in pulſu intuliſſet mutationem; nulla interceſſerat incandeſcentia, & integra omnino videbantur aliarum partium munia.

Nec quidem tantopere, ac prima fronte videri poteſt, a febre alieni ſunt ejuſmodi affectus; ſæpe enim, ut cuilibet notum, vigent acerrimi artuum dolores, qui cum ipſa incedunt; eadem vero evaneſcente ſuperſunt nonnunquam, & paroxyſmorum inſtar, periodice redeunt; tunc ſcilicet cauſæ febrilis partem in locis affectis remanere certum eſt, nec niſi adhibitis febrifugis ſedari poſſunt inſolentes ii cruciatus; quæ interim in externis partibus ſe produnt, in internis prodire poſſunt; & ſi poſt febrim ſola remaneant, abſque ea prægreſſa aut ſubſequente eadem ſe exerere mirum non eſt.

Ut plurimum tamen res ita non ſolet procedere; viget enim febris, cum per varias partes defertur febrile venenum; id autem in quibuſdam modo defixum hæret, modo plurimas aggreditur; quin imo eſt ubi eas ſucceſſive peragret; fuit v. g. quidam, qui per paroxyſmum dolores

acerrimos in cruribus & tibiis expertus eſt; aſcenderunt ii verſus abdomen, deinde vero ad caput, unde veræ ſuborta apoplexiæ ſpecies.

Sed alii, iique inſoliti & ſummum inducentes diſcrimen occurrunt febrim larvantes affectus; eos tantummodo in genere hic indicare mens eſt, ut deinde facilius ad ſingulos devenire liceat; a febri interim ita alieni ſunt, ut ipſa naturam mutaſſe videatur, nec facile aliquando dignoſci poſſit; pendere poteſt mutatio hæc variis ex cauſis latentibus.

Quæcunque autem eæ ſint, veneni febrilis tunc acrior aut magis deleteria eſt vis, ipſaque e fomite ſuo depulſa in varias partes convertitur; patet hæc converſio ex natura veneni hujus erratica, cum in variis locis latere aut defigi poſſit; liquet & vis acrior ex parotidibus, quibus obnoxii ſunt quidam ægri febre intermittenti laborantes; confirmantur hæc omnia obſtructionibus, quæ ex materia febrili circumeunte ortum trahunt, & febri ſubacta ſupereſſe ſolent.

Cum vero his de cauſis febriles inſultus inſolita, eaque periculoſa ſibi adſciſcunt ſymptomata, non ſtatim quidem cum febre exſurgere ſolent, ſed tertio vel quinto ad ſummum paroxyſmo ſe produnt; ea prævidere ſtatim quidem in multis ægris non licet, niſi per graſſantem epidemiam; in aliis ſi quædam per primos inſultus ſe prodant, non ita periculum oſtentare videntur.

Quod imprimis notandum, pulſus in univerſum parvus fit & celer, ita ut vix ſe prodat: in univerſum inquam, nam quidam ſunt caſus,

in

in quibus majori vi incedit; cum v. g. impetitur caput, & in lethargum aut comatoſum affectum incidunt ægri, validius pulſant arteriæ; non minus earum inſurgunt vires in dolore rheumatiſmum referente; nec profecto mira eſt varietas hæc, cum varie vim ſuam exerat febrile venenum; ſtimulat v. g. aliquando partes veluti admoto cauſtico; eas nimirum abradit & ſanguinem mucumque elicit; alias ſpaſmodicis urget motibus, ſeu convulſiones ciet, imo & hæc frequentiſſima eſt ejus agendi ratio.

Sub hac tam aliena facie varie decurrere poteſt deinde larvata febris, & a paroxyſmorum more recedere; eſt ubi ipſis præfixum terminum prætergrediantur ea, quæ tam inopinato ſe exeruerunt ſymptomata; ſæpe enim non ſuccedit ut antea intermiſſio, imo nec remiſſio; juris ſui non fiunt oppreſſæ partes, niſi poſt certum temporis ſpatium; modo ſcilicet per aliquot dies excurrit morbi vis, modo per hebdomadam, aut etiam diutius eadem permanet vel augetur; novum autem tunc prodit febris genus, de quo deinde fuse agemus.

Sed non raro ingenium typumque ſuum ſervat converſa in certas partes febris vis; nam paroxyſmorum more in plurimis ægris inſurgere ſolet & intermittere; remittunt ſaltem maxime tetra hæc ſymptomata, quæ tantum intentant periculum; inde autem patet non ſolum valida arteriarum actione diſſlari febrile venenum, ut diximus; leviſſimo enim ipſarum motu, & abſque inſigni calore, cum inter ejuſmodi ſymptomata ſæpe concidat pulſus, ferme omnino ſubigitur;

ferme inquam, nam remanent veſtigia eorum affectuum, qui in varias partes delati ſunt, iique ſequenti paroxyſmo ut plurimum graviores fiunt; quod vero magis inſolens eſt, poſt veram plurium dierum intermiſſionem aliquando recrudeſcunt.

Non tamen credendum tantam & æque ſemper infeſtam eſſe vim veneni febrilis aberrantis, & in partes quaſdam dejecti; cum febrifugorum opera v. g. repreſſi ſunt paroxyſmi, fit aliquando ut venenum hoc, aut ejus reliquiæ in partes externas detrudantur; tunc ſæviunt in iis dolores, nec niſi iterum accenſo febrili æſtu tolluntur; ſæpius autem & eadem de cauſa afficiuntur internæ partes; tumet nimirum abdomen, læduntur certorum viſcerum functiones; quo autem omnia in naturalem reducantur ſtatum, opus eſt ſimiliter in certis ægris ut iterum inſurgat febris; ſaltem ita iis non raro medetur natura; inde vero patet quam proficuus eſſe poſſit motus & calor ad ſubigendam veneni febrilis cauſam.

CAPUT III.

Ut in febrem mali moris abeat febris intermittens ſimplex.

His præmiſſis patet aditus in febrium malignarum intermittentium hiſtoriam; & quidem ita hæ incedunt, ut ſæpe in caput recidat omnis ferme earum vis; ſoporoſi fiunt ægri, impetitur mens, inducitur lethargus, imo nonnunquam vera ſuccedit apoplexiæ ſpecies & paralyſis; quod vero magis infrequens eſt, catalepſiæ quid ſimile obſervatum traditur; non mirum ergo ſi adſint aliquando convulſivi motus, tremores, & tendinum ſubſultus, tum viſus, & auditus, aliorumque ſenſuum defectus, aut denique vitalis ſpiritus omnimoda proſtratio.

Hæc omnia adeo inexſpectata varie oriuntur, decurrunt & recedunt; leve habent aliquando initium & aliquando grave; eſt ubi ſtatim tanta ſit eorum vis, ut idiopathica videantur, id eſt, a febre intermittenti omino aliena; ſed ſuum tandem prodere ſolent ingenium, in eo quod poſt certum tempus leventur ut plurimum, & paroxyſmorum more incedant; remanent interea graviores aut leviores reliquiæ in variis ægris; alii ſtupidi & veluti attoniti, alii rerum omnium immemores ſunt.

Quod vero minus obvium eſt, cum periculi

omnis ſequenti paroxyſmo videantur nonnulli immunes ægri, tertio inſurgente in priſtinum relabuntur ſtatum; imo cum vera per aliquot dies ſucceſſerit intermiſſio, non ſemper omnis abjiciendus metus; fit relapſus, ut diximus, & univerſa malorum cohors iterum aliquoties irruit; hæc autem vel ſponte naturæ vel remediis poſſunt ſuperari: diarrhœa & urinarum copioſus efluxus omnia quandoque ſuſtulit; ut plurimum tamen nonniſi certis impugnata remediis ſolent evaneſcere.

Ut in caput, ita in reſpirationis organa convertitur febrile venenum; rarius tamen eas partes obſidere ſolet, nec quidem qua de cauſa ſatis perſpicuum eſt; cum autem in illas inſurgit, non eadem omnino ratione vim ſuam exerit; & primo quidem ſpaſmos concitat, qui & in alias ſimul deferuntur partes; ex iis autem, ſive ex veneni hujus ſtimulante & cauſtica actione exoriuntur dolores varii; alii diaphragmatis aggrediuntur regionem, in eaque defixi acerrime ſæviunt; alii lateribus inhærent, & ita miſeros excruciant ægros, ut ſitum mutare nequeant.

Non mirum ergo ſi inde inſignes ſequantur reſpirationis anguſtiæ; inſtat tuſſis, vexat anhelatio, exoritur orthopnœa; hinc veluti catarrhi ſuffocativi aut aſthmatis ſpecies, oppreſſio ſcilicet & repletio pulmonis ut a craſſiori muco; at aliam faciem nec minus formidandam induit aliquando morbus; mutari ſcilicet videtur in ſævam pleuritidem aut peripneumoniam; adeſt ſputum ſanguinis, dolor pectoris fixus & lancinans; pulſus depreſſus

preſſus ſolummodo cum his non conſentire videtur ſymptomatibus.

Cum cujuſque paroxyſmi initio multa patiatur ſtomachus, non mirum videri debet, ſi in eum acrius deſæviat febrile venenum; alias eam partem vexat angor intolerabilis, alias inſurgit morſus aut dolor atrox; veram adeſſe crederes inflammationem aut eroſionem; hinc autem nauſeæ, aut vomendi enormes conatus, iique inanes; animi deliquium, ſudor fronte aut vultu diffluens, oculorum caligatio, pulſus exilis, frigiditas, mortem inſtantem oſtentare videntur, nec quidem eam effugient ægri, ſi diutius aut gravius iis torqueantur, aut ſi ſæpius, ſeu pluribus paroxymis ea experiantur.

Inter has anguſtias urget ſæpe immanis vomitus, rejicitur bilioſum magma, vitellinum, porraceum, fœtidum; imo aliquoties cruenta & nigra magno impetu ſurſum feruntur; dejiciuntur eadem per ſeceſſum in quibuſdam ægris, licet in ſola epigaſtrii regione deſæviat dolor; interea non in ſtomacho ſolo aut in alvo ſe prodit tanta morbi vis; adeſt linguæ ſcabrities, & urinarum paucitas ſpaſmis inducta; deferuntur & ii in partes externas, in eiſque varios cient motus; occurrunt ergo in febre intermittenti quæcunque choleram morbum comitantur ſymptomata; ſed hoc intercedit diſcrimen, quod in febribus remittant, aut deſinente paroxyſimo deſinant; in cholerico autem affectu non tales dare ſoleant inducias.

At ut in ſtomachum, ita in alvum vim ſuam exerit aliquando febrile venenum; tam atroces inſur-

ſurgunt dolores, ut veluti cauſtico corrodi videantur inteſtinales fibrillæ; quæ dejiciuntur, copioſa omnino & varia ſunt, vel ſeroſa ſcilicet, vel bilioſa & variegata; ſed in quibuſdam ægris tanta eſt ſtimuli urgentis acrimonia, ut mucoſæ & ſubcruentæ ſint fæces veluti in dyſenteria; modo ſanguineoatræ ſunt, modo vero loturam carnis referunt; ex his autem magna virium ſequitur proſtratio; ſingultuoſi, frigidi, & ſemimortui jacent ægri; emergere eos poſſe vix niſi expertus crederet; quod tamen omnino mirum, deſinente paroxyſmo miteſcunt, imo evaneſcunt ſæpe terribilia hæc ſymptomata; in variis inteſtinorum morbis expulſa eorum cauſa ſuperſtes eſt irritatio, at difflatum febrile venenum ſecum omnia auferre videtur.

In externas partes ſicut in internas irruere poteſt hujus miaſmatis impetus; effloreſcunt nonnunquam in tota corporis ſuperficie, varii generis papulæ, quæ febrifugis adhibitis evaneſcere ſolent; intenſo alias rubore ſuffunditur cutis, in certis partibus magis, in aliis minus; at ſæpius veluti ſudoris Anglici ſpecies erumpit, hic quidem ex fronte & pectore affatim emanare in multis incipit, ubique calidus eſt, & quo magis profuſus, eo magis intenditur febris; poſt certum tamen temporis ſpatium, alias citius, alias ſerius, frigidus fit, deprimitur pulſus, & veluti formicans in nonnullis incedit; in his interea fit præcordiorum anguſtia & compreſſio, in aliis flammeus aut cauſtici ſtomachum urentis ſenſus, in omnibus vero irrequieta jactatio, & urinarum ſup-

preſ-

preſſio; ipſa corporis facies impendens oſtentat diſcrimen; lividus enim aut cæruleus inducitur color.

Ipſo febris initio, algenti nimirum corpore & varia rigoris aut horroris concuſſione exagitato, inſurgere ſolent dolores per varias partes; inde autem patet, quod in ſimilem affectum abire poſſit omnis febrilis veneni impetus: in his ipſis ſudoribus, de quibus modo actum eſt, tantus aliquando exſurgit crurum aut tibiarum cruciatus, ut ferro exſcindi videantur; ſed inſurgit nonnunquam dolor rheumaticus univerſalis, alias quandam imprimis partem obſidens, alias vero hac & illac vagans aut errabundus; præcipuum imo & ſolum primo adſpectu hoc videtur ſymptoma; nonnulla tamen, eaque varia ſecum adducit; deliquium infert animi in quibuſdam ægris, in aliis vero non ſine multo diſcrimine ſpaſmodicis ſtipatur motibus; non raro vero inflammatorius videtur ejuſmodi dolor, in varias tamen partes nihilominus verſatilis.

Sed ſi partibus quibuſcunque infeſtum eſſe poſſit febrile venenum, in iiſque defigi, idem in motus, quo vigent & vivunt, principium ſolummodo inſurgere, id eſt, principium vitale aggredi, totamque perturbare poteſt partium œconomiam; hoc v. g. accidit in iis, qui ſyncope terribili, aut anaiſtheſia per totum paroxyſmorum tempus laborant; facies tunc cadaveroſa, oculi clauſi, ſpiratio ſublimis, vera denique mortis imago.

Eſt interea ubi non tam vitæ motuſque principium, quam caloris nativi fomes impeti videa-

tur;

tur ; aliquando frigori incipienti nullus ſuccedit calor ; alias poſtquam ſe exerere incepit, reſtinguitur ſenſim ; ſuperficies corporis externa veluti marmorea , vultus plumbeus , extrema livida , & ut paucis omnia comprehendam , occurrunt quæcunque leipyriam febrim comitantur ; adſunt inſuper nonnulla , quæ perpetua non ſunt , mens hebes eſt v. g. , urget ſitis intenſa , urinæ parce fluunt &c.

Multa ab iis omnibus diverſa poſſunt in protheiformi febrium intermittentium decurſu occurrere ; ſed hic ea tantum commemorare , quæ mihi experientia innotuerunt , viſum eſt ; potuiſſem profecto nonnulla referre , quæ ad ejuſmodi febres proxime accedunt , & quæ tamen mali omnino non ſunt moris ; ſomnum v. g. veluti lethargicum in quibuſdam ægris obſervavi , licet nullum intentaretur diſcrimen ; colici dolores ſimiliter , & in quibuſdam mulieribus præcipue , mihi occurrerunt , uti & dolores per artus ſparſi ; at leviora novit qui graviſſima non ignorat.

Iis interim confirmantur , quæ tanto labore e naturæ latebris a *Mortono* eruta ſunt , eoque duce a doctiſſimo *Torti* obſervata & accuratius deſcripta ; ſed anteceſſerat eos celebris admodum Medicus , qui non minus acute intermittentium febrium metamorphoſim , ſive abnormem earum vim perſpexerat ; eſt ſcilicet is *Salius Diverſus* , qui eas tanta diligentia deſcripſit , ut ejus verba hic referre non pigeat.

In quarundam , inquit , febrium intermittentium principio , dum leve aliquod frigus vel horror adeſſet ,

ſet, tanta caloris eveniebat retroceſſio, ut prægelida eſſet caro, facies conſimillima morituro, pulſuſque adeo minimus, ut nullus eſſet; hic accenſo calore magis apparebat, ſed parvus, inæqualis, frequens & imbecillis; ſitis inexhauſta erat, anxietas ſumma, timor maximus, inquietudo ingens; ſenſus caloris urens, dum ad tactum nullus, vel parvus eſſet; animi defectus, ſudores frigidi, cordis palpitatio & tremor. Hæc omnia declinante febri deſinebant; incipiente declinatione pulſus elevabatur, redibat calor; has febres, id eſt, earum paroxyſmos vidi ad horas ſexdecim aut octodecim protrahi; hic peculiare obſervavi, quod nox acceſſionem præcedens, ultra quam credi poteſt, eſſet inquieta, licet non febrirent ægri.

Similium febrium deleteriam vim obſervavit deinde *Valeſius*, eaſque *malignarum* nomine inſignivit; ſed *Ludovicus Mercatus* ipſarum hiſtoriam omnibus numeris abſolutam tradidit; diagnoſim imprimis & prognoſim accurate inſtituit, & ejuſmodi febribus proprium & protheiforme ita effinxit ingenium, varioſque caſus, ut pateat nullam eſſe formam, quam non poſſint induere; experientia aſſidua, non opinione aliorum edoctus, nil ferme ex omnibus ſymptomatibus prætermiſit, quæ & Medicis illudere ſolent & ægrorum moliri perniciem.

His, & obſervatione imprimis edoctus *Riverius*, earum febrium vim potuiſſet proſequi; is tamen non niſi in genere illam attingit: *Videmus, inquit, ſingulis fere annis, hac ſaltem regione, febres tertianas intermittentes, quæ ſummæ malignitatis ſunt par-*

participes ; tertia vel quarta acceſſione ægros de medio tollunt ; aliæ eos in graviſſimum vitæ diſcrimen conjiciunt , idque ob maximam ſymptomatum ſævitiam: dantur , juxta eundem , *tertianæ malignæ peſtilentes , quæ , quamvis evidentes habeant intermiſſiones ,* deleteriæ *ſunt ; præterea multa poſſunt ſupervenire , que vitæ periculum inferre poſſunt , quamvis febris ex ſe periculoſa non ſit .*

CAPUT IV.

Ut commutentur febres intermittentes in alias , ſive remittentes , ſive continuas .

EJuſmodi ſunt ſæpe affectus , quos mentitur febris intermittens; ſed quod non minus ab ejus ingenio videtur alienum , ipſa febrium aliarum formam poteſt induere , & ſub ea quaſi ſuperinjecta larva deliteſcere ; ut autem ſub aliena hac ſpecie dignoſci poſſit , ejus varias facies varioſque inceſſus attingemus .

Et primo quidem , juxta pleroſque , aliis febribus comitem ſe adjungere poteſt intermittens febris ; quotidianæ v. g. conjuncta viſa eſt ferme omnibus ; ſed raro admodum , ut diximus , occurrit quotidiana , eamque ab aliis diſtinguere admodum difficile eſt ; quomodo ergo eam cum tertiana ſimplici aut duplici adeſſe ſtatui poteſt ? nonne occultari ipſam oportet , ſociis earum ſymptomatibus ? Theoriæ omnino nimium tribue-

runt Veteres, tum multi, qui ante *Harveum* vixere; pituitæ enim & bilis commixtionem aut pugnam commenti ſunt; & prout altera aliam ſuperare videbatur, varii generis exſurgere febrim aſſeruerunt.

Non ita incertum, an cum quibuſdam aliis conjuncta incedat aliquando febris intermittens; cum pleuritide v. g. commixta in quibuſdam ægris remittit alterne & inſurgit; cum variolis ipſis eam nonnunquam pari greſſu excurrere obſervavi; ſed non ita patet ejus toties memorata cum continuis febribus conjunctio; non ſolum explorantem fugit, & difficile dignoſci poteſt, ut jure dixit *Galenus*; ſed quod ipſe, nec alii ſuſpicati ſunt, abeſſe omnino poteſt, etiam cum adeſſe videtur; imo ipſam a naturæ inſtitutis eſſe alienam ſtatui poſſe crediderim, idque graviſſimis innixus argumentis.

Quod præcipuum mihi videtur ex obſervatione ſimul & ratione petitur; & primo quidem in continuam abire poſſe febrim intermittentem negari nequit; cum autem alieno a ſua natura greſſu incedit, per varium excurrit tempus; modo v. g. per ſex aut octo dies, modo ad undecimum, aut decimum quartum, imo ad vigeſimum progreditur.

Duo autem hic obſervanda occurrunt; eſt nimirum ubi ſub initiis nil quod intermittentes referat perſpici poſſit; nil ejuſmodi imprimis ſe prodit, cum ad quinque tantum, aut ſex dies inſurgit continuus febris impetus; quando vero diutius excurrit, vix etiam aliquando quidpiam a continuarum ductu aut natura diverſum, febrilibus ſymptomatibus interjicitur. At

At ut plurimum mutata forma non mutatur omnino ingenium febris ejuſmodi; in paroxyſmos enim excandeſcit plus minuſve conſpicuos, & ſtatis redeuntes horis: deinde vero ſæpiſſime in veram intermittentem deſinere ſolet, in tertianam nimirum, aut duplicem tertianam ut plurimum; unde, ut patet, non nova inducitur febris, ſed prior, quæ continua erat, vel unam amittit ſui partem, vel in duas intermiſſione diſtinctas dividitur.

Nec minus interea cum ratione, quam cum experientia conſentit mutatio hæc; cum enim febrilis veneni intenditur vis, neceſſe eſt ut diutius excurrant paroxyſmi; imo ita protrahi poſſunt, ut unus alterum attingat; tunc autem veram præ ſe ferunt continuæ ſpeciem; ſed cum inſurgat eorum vis ſtatis horis, & quædam inducant ſymptomata periodice recurrentia, intermittentium morem ſimul retinent; præterea occurrunt iidem quotidie breviores, vel longiores, aut etiam longiſſimi, alii in alios veluti uno tractu abeuntes; diſtinguuntur tamen, vel quo erumpunt impetu, vel prævia remiſſione aut refrigeratione.

Sed ne ad incerta divertere videamur, ab ulteriori hac de re diſquiſitione temperabimus; noſſe ſatis eſt intermittentem febrium continuarum ſpeciem induere; eam plus minuſve ad eas accedere, plures aut pauciores paroxyſmos in idem tempus incidere, ipſos magis vel minus poſſe remittere, quæ ipſos antecedunt, aut quæ ſubſequuntur, longe eſſe diverſa; in quibuſdam nimirum ſe prodit frigus; in aliis vero ne illius

qui-

quidem occurrit veſtigium; ſimilis eſt ſudorum ratio; nam vel diffluunt aut vix erumpunt, vel paroxyſmos nullatenus excipiunt.

Prout autem varia ſunt hæc ſymptomata, aut phænomena, varium etiam febribus nomen inditum eſt; ne tamen obſcuritatem pariat hæc nominum diverſitas, ad earum compoſitionem reſpiciendum; non poteſt ea illos latere, inquit *Galenus*, qui ſimplices febres noverint; ex iis ex ſurgunt aliæ omnes, veluti ex radicibus, quæ in varios truncos aut ramos abeunt; in eo quidem res poſita eſt, ut unius paroxyſmi reliquiæ ſubſequentem attingant, & ut iidem varias ſervent periodos, ut jam diximus, & variis denique ſtipentur affectibus.

Hinc autem ſtatim intelligere eſt, quid ſint febres remittentes, ſubintrantes tertianæ, & duplices tertianæ continuæ; remittentes illæ ſunt, in quibus poſtquam certa vi decurrit paroxyſmus, miteſcit idem donec ſtata hora, aut circiter inſurgat alius; ſubintrantes vero dicuntur eæ, in quibus primus paroxyſmus nondum deſiit, cum incipit alter, ita ut primus in ſubſequentem videatur ſubingredi.

Inde patet ſubintrantes ex remittentium eſſe genere, nec niſi gradu alias ab aliis differre; aut quod verius eſt, nonniſi nomine diverſæ ſunt, cum reipſa eædem ſint: non magis alienæ ſunt ab earum ortu & natura tertianæ continuæ; exacerbantur ſcilicet tertia quaque die, producitur in diem intermedium febrilis vis, eaque eodem tenore per hoc incedit intervallum; modo tamen levior,

modo gravior, eſt ubi pulſus tantummodo frequentior ſit; alias interim majori fertur impetu; at raro occurrit typus ejuſmodi; quod vero duplices ſpectat tertianas continuas, eæ ſunt, quæ continuo quidem progrediuntur greſſu, ſed inſuper quotidie ſtatis exacerbantur temporibus; hinc ergo iterum videre eſt, eas ad remittentes & ſubintrantes pertinere.

Ad eaſdem referri debent aliæ, quæ nomine potius ex variis ſymptomatibus deducto, quam ortu & natura diſcrepant; talis eſt v. g. ſemi-tertiana Veteribus tantopere formidata; juxta *Hippocratem* horrifica eſt, continua, acuta, & una die levius, altera vero gravius inſurgens; juxta *Celſum: ex octo & quadraginta horis, fere ſex & triginta per acceſſionem occupat, neque ex toto in remiſſione deſiſtit; frequentiores plerumque habet acceſſiones deceſſioneſque, ut aliud morbi genus videri poſſit*; at *Galenus* de ea accuratius prodidit, quod continua ſit, ita interim ut tertia quaque die cum horrore exacerbetur; duplex, inquit, in ea occurrit febris, tertiana nimirum, & quotidiana continua, totuſque ejus decurſus eſt horarum quadraginta octo; in quibuſdam equidem a ſe diſſentire videtur Scriptor hic; at eo recidunt ferme omnia, quæ ſparſim de febri hac tradidit.

Ex his, aut potius ex latenti febris illius natura, multæ ſunt ortæ lites apud inſequentium ſæculorum Scriptores; alii antiquorum mentem aſſequi conati ſunt; multi quædam addiderunt, vel opinione, vel obſervationibus nixa; quidam

ni-

nimirum binos eadem die exſurgere paroxyſmos crediderunt; hos obſervavit *Riverius*, imo quadruplicis tertianæ cum continua quotidiana incedentis meminit; alii ſubeſſe continuam ex viſceris alicujus inflammatione ortam ſuſpicati ſunt, & inde horrores ſe mutuo excipientes deducendos exiſtimarunt; omnes ergo tertianam ſimul cum continua decurrere conſentiunt; utrique tamen vim inæqualem, aut intempeſtivos tribuerunt rigores.

Nos vero de his litibus parum ſolliciti, non quid præciſe ſenſerint Scriptores, ſed quid ab eorum mente non ita abludens obſervetur, indicabimus; febrim igitur hemitritæam duplicem eſſe tertianam continuam ſtatuendum nobis videtur; at ut hemitritææ nomine donari poſſit, ejuſmodi eſſe debet, ut paroxyſmus unus frigus habeat prævium, alter vero nequaquam; incidant inſuper in eam oportet horrores vagi & incerti, plus minuſve certis temporibus ſe exerentes; inde autem patet hemitritæam eſſe mali moris febrim, ad leipyrias aut epialas accedentem.

Nec quidem eam ab iis abludere crediderunt Veteres, tum ii, qui eos ſunt ſubſecuti; lethalis dicitur *Hippocrati*, & juxta ejuſdem obſervationes, vomitum, horrorem, cardialgiam ſecum adducit; *Galeno* autem authore periculoſa omnino eſt; pulſus in ea tardus & rarus, calor recedit ab extremis, & ad ventrem & thoracem veluti aſcendit, veternoſos ſopores, deliria & vigilias inducit; febris ſyncopalis nomine donatur a *Rondeletio*, ut peſtilens deſcribitur a *Schenckio*,

cum peſte incedere fertur a *Spigelio*; ſuborta imprimis graſſantibus febribus malignis *Foreſto* viſa eſt; ea de cauſa haud dubie ex maligna ortum trahere eos quibus ſtipatur rigores a *Walæo* creditum eſt.

Non mirum ergo videri debet, ſi hemitritæi deſcriptiones a Medicis traditæ tantopere diſcrepantes videantur; non cadunt omnia, quæ jam recenſuimus in eandem febrim; iuxta varios Scriptores plura in hac, pauciora aut diverſa in alia occurrunt; modo rigor, modo refrigeratio aut horror ſolet præcurrere; eſt ubi rigor & calor ſe alternatim excipiant, & multiplices inſurgant exacerbationes, ſeu paroxyſmi; ea denique pejoris notæ, ſeu mali moris ſymptomata, quæ in intermittentes incidunt, & quæ, ut diximus, tam varia ſunt, in ſemitertianis etiam periculoſe ſe produnt; unde in illis malignum quid latere æque certum eſt.

Semitertianæ dictæ ſunt ejuſmodi febres, quia dimidia tantum earum pars tertianum ſequitur typum; nihilominus miratur *Galenus*, eas ita eſſe appellatas, & *tritajophyas* potius vocandas cenſet; hoc autem nomine, quo & uſus eſt *Hippocrates*, *tertianarias* ſimpliciter, ſeu *triduanas* indicare voluit, continuas nimirum, quæ tertia quaque die exacerbantur; eæ interim ſemitertianis ſunt benigniores, atque magis remittentes, ideoque minus periculoſæ; impendet tamen ex iis aliquando non leve diſcrimen, cum graviori decurrunt impetu.

At plus intentant periculi aliæ, quæ, ut plu-

rimum

rimum ſimilis proſapiæ ſunt, febres nimirum ardentes, ſeu *cauſi* Veteribus dictæ; occurrunt in iis, ut obſervavit *Galenus*, omnia tertianæ indicia; eo ſolo differunt, quod neque cum rigore invadant, neque ad integram deveniant apurexiam; hoc ita certum eſt, ut in tertianas, ſeu veras intermittentes deſinant, a quibus tamen, ſi nomen ſpectes, tantopere videntur recedere.

In eo autem tertianas æmulantur ejuſmodi febres, quod tertia quaque die inſurgat exacerbatio, ſeu paroxyſmus; ſed continuæ ſunt, & cum altera die levior ſit febrilis vis, alia vero intenſius urgeat, ad duplices tertianas propius videntur pertinere; hoc tantum iis ineſt peculiare, quod calorem urentem concitent; huic, ut pathognomonicum ſignum, ſitim inexplebilem addidit *Galenus*; poteſt tamen ea abeſſe, quia, ut inquit *Valeſius*, alii ſunt graviores, alii vero benigniores cauſi.

Non equidem cuicunque ardenti febri talis ineſt ortus, ex fomite nimirum intermittenti; ſunt aliæ, quæ ab ipſo nullatenus deduci poſſunt; tales ſunt continuæ complures, in quibus acerrimus concitatur calor; in conſtitutione v. g. peſtilenti ſunt, ut verbis *Cælii Aureliani* utar, veluti *flammeæ* febres; æſtum obſervavi intenſiſſimum in quibuſdam febribus exanthematicis, aliiſve varii generis; ejuſmodi haud dubie erant illæ, quas *cauſodes* nuncupavit *Hippocrates*; at legitimus *cauſus* intermittentium febrium eſt vera progenies; varius autem eſt ejus terminus,

ſeptimum diem ut plurimum non tranſcendit; & ſi longius protrahatur ad quatuordecimum producitur; cum ulterius excurrit in putridam febrem abire ſolet.

In iis interim febribus ſe prodit ſaltem intermittentium ingenium, at in aliis non paucis, licet ex eodem fonte oriundis, ab omni norma recedit febrile venenum; eſt, ut diximus, ubi continuo ſtatim graviterque ſæviat; alias leviſſimo & continenti fertur greſſu; ſi inſurgat ſerotinis horis, nullo ſubjiciuntur typo exacerbationes; magis minuſve conſpicuæ ſunt, ſimulque plures vel pauciores; modo abſque ullo frigore, modo cum pandiculationibus, quæ antecedunt, prodire ſolent; nonnunquam denique in incerta variaque incidunt tempora; remiſſiones iiſdem omnino de cauſis variæ ſunt; intermiſſiones vero, ſi adſint, non minus incertæ occurrunt; hæc tamen omnia, quæ initio imprimis adeo inæqualia ſunt, lapſu temporis in ordinem quandoque redire ſolent, unde provida & ſapienti exſpectatione ſæpiſſime opus eſt.

CAP.

CAPUT V.

Oſtenditur variis obſervationibus, quam variæ ſint febrium continuarum ſpecies, in quas abeunt febres intermittentes.

HInc patet, ut per ſe ipſas larvari poſſint febres intermittentes, cum continuæ fiunt, aut remittunt; ſed ut melius ſub tam aliena facie dignoſcantur, earumque natura perſpici accuratius poſſit, hiſtoriam eorum, quæ in certis mihi occurrerunt epidemiis, ſumma cum diligentia tradere conabor.

Per æſtatem torridam & per inſequentem autumnum graſſabantur febres ſtatim continuæ, at per dies tantummodo quinque aut ſex; deinde vero intermittentium more curſum abſolvebant: at ſequenti anno cum tertianarum duplicium aut ſimplicium ritu incœpiſſent, in continuas quindecim aut viginti dierum abire ſolebant; per hujus autem temporis decurſum varie inſurgebant paroxyſmi; alias ſtatis horis, aliquando nocturnis, nonnunquam matutinis, non raro pomeridianis; erat ubi dum una dies nonniſi leviorem haberet paroxyſmum, altera vehementiorem ſecum deveheret; non infrequens etiam erat ut eadem die, vel diebus alternis tres exacerbationes paterentur ægri.

Nuſquam ferme in his febribus exacerbationes

præcedebat frigus; aderat tamen earum initio in nonnullis ægris refrigerationis ſenſus; ſed in iis non æque ſæviebat febrilis vis, ac in aliis, in quibus nullo frigore prævio notabatur paroxyſmus; cum autem deſinebant ejuſmodi febres, ſæpe in intermittentes mutabantur, aut abnormi incedebant greſſu; erant qui de die ſatis bene habere videbantur, nocte vero ingruente febrilis exoriebatur motus; varia in multis occurrebant ſymptomata, quæ recenſere omnino ſuperfluum judicamus.

Biennio poſt aliæ graſſabantur febres, quæ more duplicium tertianarum ſolebant incedere; in his frigore prævio inſurgebant exacerbationes; unde certum peti poterat intermittentium ſignum.

Sed in ejuſmodi epidemiis non eundem typum ſequebantur febres, earumque ſymptomata; multas vidi continuarum more procedentes, abſque ullo frigoris ſenſu; ad undecimum, decimumquartum, vigeſimumque excurrebant diem; in iis nonniſi verſus finem, citius tamen aliquando, aliquid, quod remittentem febrim ſignificaret, occurrebat; in quibuſdam dein certis temporibus mitior videbatur febrilis motus, & lucida erant intervalla; tantæ autem & tanto impetu exſurgebant exacerbationes, ut ſummum ægris impenderet periculum.

Verno autem inſequentis anni tempore, non eam omnino faciem referebant febres; pleræque initia habebant leviora, nec ita larvatus videbatur earum inceſſus; ſed dein per ſex, vel decem dies continuo greſſu decurrebant; in iis nil intermittentis, aut remittentis typi conſpici poterat,

gra-

graves erant paroxyſmi, nullo frigore præcedente conſpicui, niſi forte in quibuſdam, qui levem aliquando refrigerationem cum tuſſicula experiebantur; quod nobis multo certius earum febrium detegebat morem ſeu naturam, ipſarum tantum initio prodire ſolebat; eæ nimirum intermittentium decurſum, licet a norma ſolita devium, æmulari videbantur, eandem præ ſe ferebant ſpeciem, cum continuæ eſſe deſinerent; nam tertianarum duplicium ritu tandem incedebant.

Aliam in ea epidemia rerum faciem obſervavi; in variis ægris plures eadem die remiſſiones & exacerbationes ſe excipiebant; caloris & frigoris ſenſus alternus in plures excurrebat dies; tandem ejuſmodi febris, ut aliæ, de quibus egimus, in veram remittentem aut intermittentem abire ſolebat; ſed erat ubi febrilis impetus abſque hac alterna caloris & frigoris viciſſitudine procederet; per tres quatuorve dies aut plures intenſiſſimus erat, ſubſequenti vero tempore aderat remiſſio, per unum diem, aut per longius temporis ſpatium; deinde vero recrudeſcebat omnis morbi vis per dies tres aut quatuor continuos; ſæpius autem ſe excipiebant veluti alternis remiſſio hæc & vehementia, quæ nullum certum ſervabant typum.

Hinc patet in his epidemiis omnia in genere reduci poſſe, I. ad febres, quæ ſtatim intermittentes videntur; II. ad eas, quæ in remittentes mutantur; III. ad continuas ita incipientes, licet a vera intermittentium cauſa ortum traherent; IV. ad alias, quæ ex vere intermittentibus in continuas abeunt; V. ad earum decurſum, qui in

quin-

quinque vel ſex dies, imo & plures, protrahi poteſt; VI. ad multas ejuſdem naturæ, quæ ad quindecim aut viginti dies excurrunt; VII. ad remiſſiones longiores aut breviores, plus minuſve conſpicuas, & aliquando ad ſenſum nullas; VIII. ad frigus, quod modo exacerbationes antecedit, modo ab iis abeſt; IX. ad variam inſultuum & remiſſionum viciſſitudinem.

CAPUT VI.

De febribus continuis & mali moris, in quas mutantur febres remittentes.

AT inter epidemias maxime memorandas unam referam, quæ ex ſtagno latiſſimo, & putrida materia referto ortum ducebat; ſæviebant primis temporibus febres, quales modo deſcripſimus; ſed vagata eſt alia e genere remittentium, quæ in paroxyſmis caput impetere ſolebat; incidebat, ut plurimum, pectoris ſumma oppreſſio, delirium, convulſio; ſæpe veram apoplexiam mentiebatur febris hæc; ſæpius lethargi ſpeciem induebat; aliquando immoti ægri, ſine ſenſuum ullo uſu, aut ulla vi, quaſi vitali aura non fruerentur, jacebant; non raro paroxyſmus cum horrendo capitis dolore & artuum cruciatu non ferendo incedebat; remittente autem eo, omnia miteſcebant, & aliquando in tuto verſari videbantur ægri.

Pro-

Prodibat alias quadamtenus diverſa morbi facies; excandeſcebat febris cum dolore lateris lancinante; pectus, ut in peripneumonia, gravatum & anhelum premebatur; erat ubi continuus, horrenduſque vexaret vomitus; infeſtabant anginoſi dolores, inteſtinorumque cruciatus, aliaque id genus ſymptomata, quæ per totum paroxyſmi decurſum immaniter ſæviebant; præter ſpaſmos & motus convulſivos ſuberant animi deliquia, lethiferæ quietis ſæpe prænuntia; in plurimis vero ægris tanta virium imbecillitas, ut jamjam morituri viderentur; quidam, ut jam diximus, mortuorum inſtar proſtrati jacebant; in ea autem proſtratione ſummam frigiditatem, & veluti marmoream obſervavi.

Interea varia erat in his omnibus pulſus vis; aliquando tantus erat ſymptomatum impetus, ut iis veluti obvolutus paroxyſmus oculos ferme explorantium effugeret; pulſus ſcilicet contractus, omnino debilis, & quaſi animam agentis videbatur, alias vero, idque in genere, ſumma erat febris, pulſus validus, iſque frequentiſſimus; in nonnullis tamen non æque elatus, aut tanta vi digitos feriens, ſed ſatis conſpicuus, ita ut intenſam adeſſe febrim ex eo ſolo pateret.

Anno ſequenti graſſata eſt febris ejuſdem generis; duplex erat tertiana & continua ſubintrans, in ea vel primo frigoris inſultu ſymptomata inſurgebant apoplectica, & lethargica; eouſque procedebat eorum vis, ut per totum ſævirent paroxyſmi decurſum; eo autem evaneſcente ægri, ex miſerrimo ſtatu veluti reviviſcentes, ſenſuum mentiſque

tiſque compotes fiebant; nil mali perpeſſos juraſſes; tanta ſcilicet erat remiſſio febris & ſymptomatum intermiſſio, ut primo aſpectu ægrotare non viderentur, ſi juniores eſſent; at in ætate provectis, niſi ars opem ferret, in pejus ruebant omnia, & impendentem mortem effugere ægri non poterant.

Alia ejuſmodi, aut ſaltem non multum abſimilis triennio poſt mihi occurrit epidemia; hæc per æſtatem & per autumnum graſſata eſt, innumeroſque ægros letho dedit; ſed ut melius innoteſcant ejus febris ſymptomata, caſus quoſdam deſcribam ſane peculiares; ex his iterum dijudicari poterit, quam varii eſſe poſſint veneni febrilis effectus; patebit imprimis quantum periculi ex iis impendeat, etiam cum in certam ſalutis ſpem adducti videntur ægri, aut cum parum periclitari ex morbi vi credi poſſet.

Febre remittenti laborabat puella annos nata duodeviginti; hæc vero tertio inſultu ſenſuum uſu caruit; ita interim oppreſſus eſt pulmo, & tantus exortus eſt ſtertor, ut intra octo horas fato functa fuerit. Felicior non fuit æger quidam, in quem deinde incidi: is duplici tertiana febri, quæ ſtatim nil mali portendebat, correptus fuerat; is tamen tertio paroxyſmo in mentis alienationem, quæ per triduum excurrit, delapſus eſt; non videbatur per diem valida febris, ſed ingraveſcente per noctem morbo ſublatus fuit.

Incidit alter in febrim remittentem, & die quinto in comatoſum affectum conjectus, accedente pectoris oppreſſione, fato functus eſt. Alia ra-

ratione, ſeu alio greſſu proceſſit febris ejuſmodi in quadam muliere; ea nimirum ſtatim vera intermittenti laborabat; ſed quarto aut quinto paroxyſmo mente mota eſt; perſtitit hoc in ſtatu abſque febre ad ſenſum valida per ſex dies, & tandem ad ſe rediit; ſed ingraveſcente iterum morbi vi, primo, ſeu proxime ſequenti paroxyſmo, ad plures abiit.

Commiſſa fuit meæ curæ Monialis febre laborans remittenti; aderat quotidie horror & rigor; tandem quinto die in lethargum incidit ægra per viginti quatuor horas excurrentem; ſenſim tamen ad ſe rediit, & mentis compos fuit per unius diei ſpatium; at recurrente horrore & paroxyſmo, pectore quaſi ſuffocato obiit. Non minus inexſpectatum fuit aliorum fatum, qui poſt leniores febris inſultus, frigidi jacuerunt, & deinde accedentibus animi deliquiis, exſolutiſque viribus, aut iis oppreſſis, e vita deceſſerunt.

Ex iis patet mentis arcem imprimis in his impeti febribus, tum ſummam earum vim in pulmonem ſæpius recidere; non minus præcordia his urgentur, cum cor ipſum impeti & multa pati ſoleat; ut denique uno verbo rem conficiam, ſpiritus vitalis veluti veneno quodam inficitur & ſuffocatur; hinc deducenda ſunt, in quæ incidunt ægri periculoſa ſymptomata; urgebant ea tanto impetu, imprimis in ſenibus, ut niſi initio ſumma adhiberetur diligentia, de iis omnino actum eſſet; facilius evadebant juniores, neglectis tamen remediis, aut morbi acerbitate artem ſuperante, magna ſuccubuit eorum cohors.

Exem-

Exemplis modo memoratis comprehenduntur ferme omnia, quibus ſtipantur febres ejuſmodi; ſed peculiarem ecce epidemiam, quæ gravior omnino fuit; ita deleterium in ea erat febrile venenum, ut primo inſultu innumeri e medio tollerentur ægri; cujuſcumque equidem generis hac & illac inſurgebant ſymptomata; modo nimirum urgebant colici dolores, modo diarrhœæ & dyſenteriæ ſe efferebant; trigeſies aliquando per diem demittebatur alvus; alias inſtabat ſuffocatio mortem intentans; erat denique ubi veræ apoplexiæ ſpecies incumberet; at quod in genere, ſeu in pleriſque occurrebat ægris, erat ſtomachi acutiſſimus dolor cum vomitu, & intenſum extremorum frigus, ſeu potius caloris naturalis retroceſſio; tunc in multis viſcera depaſcebat ardor; aderat ſitis, nec quocunque potu ſedari poterat; interea maculæ nigræ vel rubeſcentes per extremos artus diffundebantur; non abſimiles erant eæ maculis ſcorbuticis; cum vero e tanto diſcrimine emergerent ægri, id eſt concidente febrili impetu, optime ſe habere videbantur, morituri tamen ſequenti paroxyſmo, qui citius vel ſerius inſurgere ſolebat.

Cum in primo inſultu tantus erat impetus, & adeo tetra incumbebant ſymptomata, nullus relinquebatur ſpei locus; non poterat revocari calor, nec ſtomacho laboranti opem ferre licebat, fati inevitabilis oſtentabatur in artubus ſignum; cutis nempe, in iis frigida & maculoſa, ſudore, qui adhuc frigidior videbatur, perfundi ſolebat; aqua conglaciata conſperſam credidiſſes; qui autem

tem in tantum non adducebantur diſcrimen, vix ullum ab arte exſpectare poterant auxilium, niſi ſuccedente remiſſione; tunc febrifugis adhibitis, in pleriſque avertebatur terribilium ſymptomatum impendens vis; ſi vero Medici incuria prætermitteretur opportunum tempus, de ægris ſequenti paroxyſmo, ſeu exacerbatione actum erat.

Non æque formidanda videbatur, nec tam late patebat epidemia quædam autumnalis, quæ tamen multos letho dedit; non magni momenti ſtatim videbatur febris; ea tertianarum typum referebat; at quarta vel quinta acceſſione in continuam abire ſolebat; duo inſurgebant intra horas viginti quatuor paroxyſmi, matutinus levior, nocturnus graviſſimus; eorum initio aberat frigus; ſed profuſi ſudores alterum excipiebant per certum tempus; deinde vero ſuccedebat cutis ſiccitas; tunc caput plus minuſve impetebatur, alvus in molem aſſurgebat; quod vero ab aliis febribus modo memoratis alienum erat, excurrebat febrilis vis ad quinquageſimum & ad ſexageſimum diem.

Siluerunt hæ febres per hiemem repreſſæ; at earum remanente in terræ ſinu fomite, iterum ſe exeruerunt verno tepore excitatæ; nam tertianarum duplicium cohors ubique incubuit; hinc autem ominari licebat, eas accedente autumno multo graviores futuras; nec profecto fefellit omen. Auguſto enim menſe inſurgere cœperunt, quæ tertianæ ſtatim ſimplices videbantur, & quæ brevi in continuas faceſſebant; non aderat in quibuſdam ægris capitis dolor; nonnulli tamen, mente

te moti, in phrenitidis ſpeciem incurrerunt; tumida omnibus inerat alvus, in diarrhœam tamen prona, ſi leviſſimo laxaretur cathartico; interim paroxyſmi magno decurrebant impetu; nec niſi poſt 15, 20, 25, aut 30 deſinebant dies.

Si quid autem veneni febrilis vim & naturam comprobat, maxime jam memoratus tot ægrorum caſus; non alia quandoque inſurgunt ſymptomata, cum lethifero quodam veneno inficiuntur internæ partes; impetitur eo vitalis ſpiritus, friguſque inducitur marmoreum; atqui idem præſtat febris arcana vis; an autem congeſtione ulla, inflammatione vel obſtructione poteſt ita perturbari aut ſubverti œconomia animalis? fruſtra profecto ex ejuſmodi cauſis febris tam deleteriam vim deduci poſſe quis exiſtimaret; ad miaſma confugiendum, ſi tam periculoſi & ſingularis morbi fontem velimus attingere.

Oſtendunt, ut diximus, ejus miaſmatis per corpus aberrantis vim metaſtaſes quædam, & certi motus critici; occurrunt ſæpe exempla, quæ id comprobant, & ſimilia proſtant apud varios Scriptores. Anno v. g. 1652, inquit *Bartholinus*, æſtate præter morem & cœli conſtitutionem ſiccisſima, graſſata eſt gravis epidemia; varii erant in ea febris typi; nam ea modo ſingulis recurrebat diebus, modo vero alternis, alias vero erratice incedebat; ſæviebant inſuper, calore urgente, capitis imprimis, colli & lumborum dolores; inſurgebat vomitus bilioſus in multis poſt ſolutum morbum ſuperſtes; aderat interea ſitis; impetebatur mens, prodibant petechiæ; at hæc omnia

nia remiſſionis tempore evaneſcebant, reverſura tamen ni ſolutio integra ſuccederet; ſolebat autem hæc fieri poſt quartum paroxyſmum; vel nimirum diffluebant ſudore ægri, vel materia venenata in abſceſſus colli, in tumores pedum, in hydropem, in diarrhœam vel dyſenteriam abibat, malignitatem præcipue arguebat in ejuſmodi febre ſubita virium proſtratio.

Hoc profecto admirari licet in ejuſmodi febribus, primo inſultu tantum vel intra paucos dies impendere periculum; ſed non minus arduum videtur detegere quomodo cauſa, tanto impetu cerebrum perturbans, & pulmoni, aliiſque partibus adeo infeſta, certas poſſit dare inducias; ita nimirum ſæpe progreditur, ut poſt triduum, quatriduumque remittat, & per unum diem aut amplius bene ſe habere videantur ægri; non eo more procedunt alii morbi, nam iis affectæ ſenſim liberantur partes; poſtquam autem functionibus ſuis redditæ ſunt, aut redditæ videntur per unum duoſve dies, non impendere ſolet vitæ diſcrimen ex ſubito reſurgente morbi inſultu; ſaltem id ita in genere non ſe habet, ut in malignis remittentibus.

Inde vero deduci poteſt *canon*, qui levis non eſt in acutis morbis momenti; liquet nimirum non ſemper inflammationes, aut certum partium ſolidarum vitium, in ſumma functionum perturbatione, incuſari poſſe; nam in larvatis his febribus, de quibus hic agitur, mente excedunt, furibundi ſunt, peripneumonici videntur ægri multi; alii doloribus acerrimis conflictantur; ſubver-

titur in nonnullis ſtomachi & inteſtinorum actio; non urgentius videretur periculum in ſumma inflammatione, aut in vulnere graviori, vel in quarundam partium irritatione ſpiritum vitalem attingente aut ſuffocante; brevi tamen temporis ſpatio liberari poſſunt partes, quæ tot & tantis premuntur anguſtiis; ſequitur ergo, terribilia ſymptomata ex ſtimulo vagante, modo ſe proripiente, modo vero vires reſumente oriri poſſe in aliis morbis; & aliquando plus timoris, quam periculi invehere.

CAPUT VII.

Ut per ſe ipſas dignoſci poſſint febres remittentes ſub alia ſpecie latentes aut larvatæ.

EN diverſam febrium intermittentium faciem, & accuratam ſymptomatum, quibus larvari ſolent, hiſtoriam; reliquum eſt ut tradantur ſigna, quibus earum febrium natura detegi poſſit; ita urgent ut plurimum, ut niſi noverimus quid morbi tam inſolentis prodat genium, ægri in ſummum adducantur diſcrimen.

Et primo quidem ex earum febrium initiis, earum indolem noſſe licet; ſi enim intermittentes, aut ſolummodo remittentes fuerint, & dein inſolitis incedant ſtipatæ ſymptomatibus, tunc profecto in ſuſpicionem alicujus larvæ devenire licet; jam vero de ea non ſuſpicio, at certum poterit eſſe judicium, ſi inſur-

ſurgant exacerbationes præmiſſo frigore; ſi vero abfuerit quævis refrigeratio, ad alia recurrendum eſt ſigna; tunc enim continuæ tantummodo paroxyſmis exacerbatæ præbet ſpeciem hæc febris; ita enim decurrunt multæ, quæ nil ad remittentes pertinent.

In febribus ergo, quæ nullo incipiunt prævio frigoris ſenſu, ſi ſubitus fuerit paroxyſmorum exortus, ſi iis veluti ictu percutiantur ægri, cum ſe melius habere antea viderentur, ſi pandiculationes, & dolores capitis, loco frigoris præceſſerint, tunc, inquam, intermittentium febrium indicatur ſub aliena ſpecie ingenium.

Eadem febrium ſe prodit indoles ex remiſſione, quæ nullam habeat cum paroxyſmis rationem; tanta eſt aliquando eorum acerbitas, ut periculum ſummum ex iis impendeat, dum in remiſſione omnia videntur tuta eſſe, & intervallum omnino lucidum eſt; tunc autem nullus ſupereſt dubitandi locus, quin lateat febris remittens, ſub veræ continuæ ſpecie.

Non minus ſe prodit febris ingenium, ſi poſt exacerbationem diffluat ſudor, ſi paroxyſmi eadem circiter hora redeant; ſi accurate ſibi ſingulis aut alternis diebus reſpondeant, ſi adſint ſymptomata vehementiora, quæ per periodos exſurgant & deſinant, uti deliria, furores, lethargus, dolores capitis acerbiſſimi, virium defectus, inteſtinorum tormina, &c.

Denique, ut modo diximus, ex urinarum colore poteſt de febre intermittenti latente non minus certa inſtitui diagnoſis; in ea enim febre aliquando lateritiæ ſunt, quod non incertum ſignum

eſt; ſed ejuſmodi non ſunt niſi in remiſſione; unde ſemper ad eam ſumma cura attendendum.

Exemplis quibuſdam patebit, quam certa ſint hæc ſigna, & quomodo inter tot diverſa ſymptomata, quibus involvitur febris, indagari ipſa & dignoſci poſſit; & primo quidem mulierem vidi veluti attonitam, affectibus hyſtericis, doloribuſque per univerſum corpus excruciatam, & in mortis limine verſantem; cum in hac virium proſtratione ſubito inſurgerent paroxyſmi, non dubitavi quin adeſſet febris ex intermittentium genere; ideo ſtatim ad febrifuga confugi, iiſque exhibitis cito convaluit ægra.

Aliam vidi ſanguinis ſputo laborantem, dolore lateris punctorio excruciatam, exacerbationibus variis in ſummum diſcrimen adductam; cum vero audiſſem a frigore incœpiſſe morbum, & præceſſiſſe aliquot paroxyſmos in ſudorem deſinentes, ſtatim de febrifugo cogitavi, eoque in uſum vocato, brevi omnia cum febre evanuere, quæ tantum metum incutiebant, ſymptomata.

Laborabat quidam pleuritide acerrima, in qua inſolitas & periodicas obſervavi exacerbationes; eæ non ſenſim, ſed quaſi ex improviſo aut ſubito veluti impetu inſurgebant; præterea ſanguis copioſe exſpuebatur in paroxyſmis, quod omnino inſolens eſt; his ita ſe habentibus, omnia febrium intermittentium latenti cauſæ tribuenda cenſui, & febrifugo eſſe impugnanda; ejus autem opera brevi temporis ſpatio reſtitutus eſt æger, qui in ſummo verſabatur periculo.

Vir venationi aſſuetus in febrem ſumma cum

vi decurrentem incidit; ſucceſſit brevi delirium atrox, calor urens, exagitatio incoercibilis; ſed cum per periodos gravius inſurgerent ſymptomata, & modo exacerbarentur, modo miteſcerent, ſtatim ſuſpicio de larvata febre mihi injecta eſt; ſine mora igitur ad febrifuga confugi, iiſque devictus eſt terribilis morbus, qui aliis omnibus videbatur exaſperari.

Monialis virgo febre laborabat continua, eaque remittenti; ſed adeo brevis erat remiſſio, ut vix poſſet animadverti; interea ſummum inſtabat periculum; ea erat paroxyſmorum vis, ut ægra animam agere videretur; tanto permotus diſcrimine, cum lucidius, licet omnino brevius, obſervaſſem intervallum, febrifugi non levem ingeſſi copiam, nec quidem id ſine fructu; omnia enim mitiora evaſerant, & brevi ſe proripuit quodcunque morbi veſtigium.

Vir denique athletici habitus & lumbagini obnoxius, in dolorem incidit acerrimum, ſcrobiculo cordis infixum; febris quidem ſtatim fuit ſumma; ſed dein depreſſus eſt omnino pulſus; excurrit interim per diem & per noctem morbi vis, magnoque eſſe in diſcrimine videbatur æger; matutinis tamen horis omnia melius ſe habuere, injecta ſtatim ſuſpicio de rheumatiſmo in partem jam affectam converſo, incuſatum deinde fuit hepar; cum vero componi non poſſint ea lites, in tertianæ morem recruduit dolor, & febrifugis feliciter impugnatus evanuit.

Alia poſſem ejuſmodi referre exempla, ſed hæc propoſito ſufficiunt; non prætermittendum tamen,

men, me ſola epidemia graſſante ductum ſtatim apud multos ægros in harum febrium ſuſpicionem deveniſſe; at ut in ſummam præcipua, quæ jam attuli, reducantur, iis temporibus, quibus non vagantur ejuſmodi morbi, exacerbationum periodici recurſus, dein vero dies unus mitior, & alter periculi plenus, remiſſio interim ſatis lucida, licet brevis, & ſymptomatum ſumma & e repente ſe exerens vis; hæc inquam, ut plurimum, mihi febris ingenium prodiderunt; quod vero urinas ſpectat, eæ multis in caſibus ejuſmodi a colore naturali minime diſcedunt.

Sed ut ad morbi detegendam naturam, ita ad ejus prævidendum eventum, conferet accurata ſymptomatum obſervatio; in genere autem quo plura ſimul exorientur, eo gravius erit diſcrimen, varium tamen, prout diverſa erit eorum ſedes vel origo; diarrhœa v. g. & vomitus, tum inteſtinorum dolores, licet acrius urgeant, & tantas excitent turbas, facilius ſe ſubducunt; difficilius vero ſumma pectoris oppreſſio & cerebri perturbatio; at ſummis in anguſtiis verſantur ægri cum omnino depreſſus evaneſcit pulſus, cum alget totum corpus, cum adeſt anaiſtheſia; e contra vero bene ſperare licet, cum ineſt certum robur vitali ſpiritui; ejus ſæpe vires demonſtrant ipſæ urinæ; nam viget ut plurimum ſi colorem non exuerint, aut ſi contentis ſaturatæ ſint; ſin minus vero, ejus concidiſſe vim ſignum eſt, idque imprimis ſi tenujores aut pallidæ effluant.

CAPUT VIII.

Ut per propria aliis febribus ſymptomata innoteſcant certius quæ ad febres remittentes pertinent.

QUÆ febribus intermittentibus propria ſunt ſymptomata non ita patent ubique, ut nullum de iis ſuperſit dubium; ſimilia occurrunt quandoque in continuis febribus; ſicut autem in multis ægris incertum, an quæ vere remittentes ſunt e genere continuarum vulgarium cenſendæ non ſint: ita non raro eſt dubitandi locus, num inter veras remittentes reponendæ ſint nonnullæ, quæ continuæ tantummodo videntur; operæ igitur pretium eſt ſtatim inquirere quid in iſtis remittentium ingenium æmulari, & fucum facere poſſit; atqui id in ſola remiſſione ſeu alterno exacerbationum inſultu poſitum imprimis eſt.

Egimus jam de quibuſdam morbis, qui febri intermittenti non videntur abſimiles; tales ſunt v. g. eæ febres, quæ in virginibus ob menſtruorum exoriuntur defectum; eandem aut non valde diverſam præ ſe ferunt in ſuo inceſſu ſpeciem catarrhi hiemales; ſerotinis enim horis inſurgit paroxyſmus, idque aliquando cum prævio frigore; idem, ut diximus, occurrit, cum abſceſſu tentantur partes; eos autem morbos noſſe ſufficit, ut ſymptomatibus febrem intermittentem referentibus

diffidamus; at non æque facile eſt judicare de continuarum febrium exacerbationibus; inquirendum ergo quomodo eas a febrium remittentium paroxyſmis liceat ſecernere?

Paucæ ſunt continuæ, quæ *homotonæ* ſint, & fortaſſe nullæ; ſuas quæque habent exacerbationes ipſæ febres, quæ ex doloribus aut ex vulneribus ortum trahunt; inſurgunt enim & concidunt certis temporibus; cauſa autem, ob quam ita fervent & deferveant, non ita patet; imo, ſi verum fateri velimus, nobis penitus incognita eſt; reliquum ergo eſt, ut earum tempora, naturam & inceſſum proſequamur; ita ſolummodo ſtatuere licebit, num quid in iis, quod a remittentium paroxyſmis diverſum ſit, obſervari poſſit.

Quod tempus ſpectat, annotandum ſtatim in quocunque morbo noctes eſſe graviores; nec profecto unde id pendeat dignoſci poteſt; qui incuſatur tranſpirationis defectus tantæ perturbationi exſuſcitandæ impar eſt; præterea in morbis acutis avertitur hic cutis effluxus, nec cadente die per æſtatem magis impediri ſolet; imo in regionibus ad auſtrum vergentibus, in ſano ſaltem corpore, nocturnis horis copioſior eſt; mihi vero ex variis liquet experimentis, eſſe in rerum natura principium quoddam incognitum verſus noctem ſe exerens; vidi machinam ita comparatam, ut, non quadam artificis induſtria, ſed quodam naturæ motu, cui excipiendo apta erat, vim arcanam decedente die reciperet; æque autem in cavo minerarum profundiſſimo, & in ſummis montibus excitari ſolebat vis hæc.

Sive

Sive autem per diem ſive per noctem exſuſcitentur exacerbationes, eæ in remittentibus & veris continuis quid habent diſſimile & ſimile; diſſimile quidem ut plurimum, nam in continuis temperatur matutino tempore nocturnus fervor; hæc vero deferveſcentia, qua concidunt ſymptomata, plus minuſve producitur; at iterum exſurgit morbi vis, idque citius vel tardius; en igitur inceſſum quendam ut in remittentibus; ſed eæ non matutinis conſtanter horis, ut continuæ veræ, ſolent remittere; quoties igitur per duos treſve dies incidit matutina remiſſio, toties veram adeſſe continuam, aut ut plurimum ſaltem, ſuſpicari licet.

At plura occurrunt, quæ in utriſque febribus ſimilia ſint; & primo quidem in continuis ut plurimum una die levior eſt earum vis, altera vero magis ſævit; non ſemel etiam, ſed pluries per horas viginti quatuor inſtant exacerbationes; modo breviora, modo longiora interjiciuntur intervalla; quum res vero in pejus ruunt, ſine lege & quaſi per ſubſultus fertur morbus; adſunt nimirum alterni tribus aut quatuor ſingulis horis exſurgentes paroxyſmi, & cum deſierunt, brevi ſolent reviviſcere.

At cum adſunt duæ vel tres exacerbationes, eæ æquales eſſe non ſolent; una eſt, eaque præcipua, quæ dominatur; graſſabantur nuper malignæ febres, in quibus dominium hoc maxime erat conſpicuum; remiſſior ſcilicet earum erat vis matutinis horis; ſed circa horam decimam incipiebat exacerbatio, quæ intra quatuor aut quinque horas miteſcebat; non diuturna erat hæc remiſſio, nam

ver-

verſus octavam horam graviſſime omnia exacerbari ſolebant, & per totam noctem ſummo ferebatur febris impetu.

Tempore igitur & numero exacerbationum duci non poſſumus in eis dignoſcendis, quæ ad remittentes ſolas pertinent; ſed aliter omnino procedunt febriles motus, cum in continuis febribus exacerbantur; & primo quidem non ſtata in genere hora inſurgunt; deinde vero cum concidit morbi vis, non bene omnino ſe habere videntur ægri, nec evaneſcunt quæ terrorem incutiebant ſymptomata; non eſt cutis humida, nec excretorum aut ſecretorum facilis via; urinæ enim ſunt eædem, nec laxantur alvi colatoria; abeſt præterea frigus aut refrigeratio; talia ſaltem in genere ſunt quæ in continuis febribus obſervantur, cum alia occurrant, imo contraria in remittentibus.

Sed modus præcipue, quo incipiunt in continuis exacerbationes, diverſus eſt; ſenſim enim ingraveſcunt eæ, deprimitur ſtatim pulſus, imo ſedari videntur ſymptomata; interim eſt ubi exagitari internis motibus videntur ægri; calore dein paulatim increſcente inſurgit febrilis vis; paulatim inquam, nam ita *acmen* ea aſcendit, non ſubito & quaſi facto impetu ut in remittentibus; quod denique præcipua eſt differentia, non tantopere exſuperant remiſſionem in continuis exacerbata febris ſymptomata.

Aliud eſt exacerbationum genus, quod negotium aliquando faceſſit, licet, ut jam diximus, res ſe alias habuerint; poſtquam ſcilicet conciderunt febres continuæ, eſt ubi per diem ægri videantur

iis

iis defuncti, nihilque ferme ſuperſit, quod morbum referat; verſus noctem nihilominus exoritur paroxyſmus, aut levis ejus prodit ſpecies; tunc multi ad corticem Peruvianum confugiunt, nec ullo modo remedium hoc nocuiſſe obſervatum fertur; ſed vel febres, poſt quas adhibetur, e genere continuarum fuerunt, vel non; ſi veræ fuerint continuæ, nil ſupereſſe poteſt, quod intermittentium venenum redoleat; febrifuga ergo iis dicata immerito uſurpanda eſſe viſum eſt: ſi innocua eſſe dicatur, primo ad curationem parum aut nihil conferre poſſunt; deinde vero non ita certum, an non aliquando noceant; & num, cum aperte non nocuerint, profuiſſe videantur.

Alta mente reponendum, *homotonum*, ut diximus, vis obſervari febrium inceſſum; cum autem in plurimis, in quibuſcunque v. g. imperfecta criſi judicatis, remaneat aliquid ex febrili cauſa, non mirum profecto, ſi verſus noctem quidam exſurgat motus; certum eſt ſaltem febrifugis ad eum compeſcendum opus non eſſe; evaneſcunt omnes ejus reliquiæ ſpontaneis naturæ conatibus, vel remediis iiſdem, quæ febrilem vim jam ſuſtulerunt, continuumque ſedarunt fervorem.

CAP.

CAPUT IX.

Ut tandem quæ intermittentibus ſeu remittentibus ob alias cauſas, & ob certarum partium affectus intermiſcentur, detegi poſſint.

VIdimus jam ut per ſe ipſas, & per continuarum febrium ſymptomata dignoſci poſſint febres remittentes; ſed præterea cum iis, aut cum intermittentibus, multa, quæ ab iisdem aliena ſunt, & quæ ab aliis morbis, tum ab aliarum partium pendent affectibus, conjungi poſſunt; eæ autem febres tunc variam dubiamque præ ſe ferunt faciem; quomodo ergo inter ejuſmodi larvas detegi poſſint, inquirendum ſupereſt.

Et primo quidem incidere poſſunt intermittentes & remittentes febres in corpora, quorum certæ partes graviter vel leviſſimo afficiantur motu; ſunt v. g. ita comparati nonnulli, ut facile commoveri poſſit cerebrum; impetitur mens in cujuſcunque febris intermittentis inſultu; vidi hominem, qui ſecundo inſaniret paroxyſmo; balbus fiebat, vix cohærebant ejus verba, rerum politicarum gnarus de iis incondita effutiebat: alter ſui compos non erat, & ſomno graviori immerſus, ſenſuum uſu deſtitutus omnino videbatur; atqui tamen in iis ægris nil erat, quod ad febrim mali moris attineret, brevi facileque vulgari methodo ea ceſſit.

Si apoplexiam paſſi fuerunt ægri, aut in eam pro-

propendeant, multa inde in febrim poſſunt recidere; vidi legis peritum, qui ſimplici laborans febre intermittenti, in graviſſima capitis incidit ſymptomata; ſtatim quidem laboravit memoria, omnium ſcilicet propriorum nominum immemor fuit, cum rerum ipſarum gnarus eſſet; depulſa tandem febre, idque breviori tempore, ſolitiſque & ſimplicibus remediis, in coma incidit, quod tandem lethale fuit.

Mente ob triſtitiam mœroremque affecta immutari ſimiliter poteſt febris facies; vidi mulierem ſimplici laborantem tertiana, quæ tandem in remittentem continuam commutata eſt; videbantur ſimul cum ea prodire cerebri affecti ſigna, iiſque dubii hærebant adſtantes; cum vero ante rerum domeſticarum cura anxie ſollicitus eſſet ægræ animus, non poterat certus ſubeſſe metus, ne quid mali moris in ejuſmodi lateret febre; benignitatem morbi confirmavit experientia; nam is brevi penitus exceſſit, ſuperſtite tamen mentis labore, qui etiam deſinente cauſa deſiit; idem autem in melancholicis occurrere poteſt ſæpiſſime.

Cum laborat pulmo, poſſunt ejus cum febre conjungi varia ſymptomata; inſtat aliquando graviſſima tuſſis, ideoque, ob irritationem ſcilicet inductam, non ſuccedit vera apurexia, ſed remanet inter paroxyſmos febricula; hoc imprimis aliquando obſervatur in iis febribus, quæ, in diuturnitatem abeuntes, ab ingenio ſuo aberrarunt; tres nuper vidi ægros, qui ſtatim tertiana laboraverant; hæc deinde, in duplicem tertianam immutata, continuam tandem cœpit æmulari, non

va-

validam tamen, ſed ſerotinis horis, frigore, paroxyſmo, calore & ſudore inſequente ſe exerere ſolitam; ad hæc acceſſit, ſub hiemis adventum, tuſſis acerrima & catarrhus; atqui tunc, febris naturam aſſequi operæ pretium fuit; nec facile erat ſtatuere quid ad primam febrim attineret. In iis, qui aſthmati obnoxii ſunt, fucum fecit aliquando ſpirandi difficultas, eaque ingraveſcente graviores fuere febriles paroxyſmi, imo eorum ordo perturbari viſus eſt; nec profecto id mirum, cum catarrhi, ut diximus, paroxyſmos habeant quotidianos. Denique in ipſa phthiſi obſervatur nonnunquam quædam febris intermittentis ſpecies; & quod non exſpectandum videretur, eſt ubi ea cortice Peruviano refrænari poſſit.

Si cordis adſint affectus, iis poterit longe alia induci febris facies; & primo quidem inſtat ſæpe in iis affectibus quædam oppreſſio, quæ in febrilem motum refundi poſſet, deinde vero quanta pulſus mutatio & inæqualitas, induci poteſt? ſed hoc ſane mirum, quod in ſenibus, aliiſque pulſum intermittentem habentibus, febrili impetu reſtitui ſoleat cordis & arteriarum rhythmus ſive æqualis inceſſus; videtur ſcilicet in iis organis ceſpitare pulſationes, quia identidem vires deficiunt; cum vero per febrim reſurgunt, procedunt æquo greſſu contractionum & dilatationum alterni motus.

Hepatis turbata munia quantam febri mutationem inferre poſſint, per ſe patet; ſtatim quidem urinæ magis lateritiæ erunt, intumeſcet hypochondrium, inſtare hepatitis videbitur, alvus erit

pi-

pigrior, paroxyſmorum intervallum a febre liberum non videbitur, exorientur cardialgiæ graviores, bilis æruginoſæ rejicietur major copia, & aliquando cum levamine; nec quidem ſoli hepatis ipſius affectus hæc omnia inducent; ipſe biliaris calculus paroxyſmorum ſpeciem efficiet, aderit frigus ſummum ipſorum initio; imo ſuccedet calor aliquando cum magna dolorum vi & acerbitate.

Poſſunt cum febre intermittente, quæ ſit boni moris, inſurgere leipothymiæ, & malignæ febris præ ſe ferre ſpeciem; exemplum jam, idque inſigne, attulimus de anaiſtheſia & ſyncope terribili, febrem ſimplicem concomitante; ſimilem caſum memorat *Riverius* in obſervationibus; Matrona inquit, tertiana duplici laborans in ſyncopem incidebat, ita ut vererentur adſtantes, ne ipſa tandem deficeret; intra biduum tamen cardiacorum uſu evanuit ſymptoma hoc terribile, & abſque illius ullo veſtigio tranſacti ſunt deinde paroxyſmi; intra paucos denique dies ægra perfecte reſtituta fuit.

Hyſterici affectus febri intermittenti non minus aliquando larvam offundunt; verum quidem eſt eam difflari ut plurimum, inſurgente febrili motu; at eſt ubi, ſeu ex proprio fomite, ſeu ex animi affectu, graviora omnino inſurgant, mentem obnubilent, & in varia abeant ſymptomata, terrorem ipſis Medicis incutientia; quod mihi, hæc obſervanti, mirum aliquando viſum eſt, pulſus, qui febris vi magno ferebatur impetu, ſtatim ſub horum ſymptomatum adventum, lentiori inceſſit greſſu; imo laxior videbatur arteriarum

tex-

textus, & in ſtatum naturalem videbatur reſtitutus earum motus.

Inſigne proſtat apud *Wedelium* de mutatione, quam febribus inducunt hyſterici affectus, exemplum; Nobilis femina, ex abortus periculo vix emerſa, tertiana corripiebatur intermittenti, ob varia quibus ſtipabatur ſymptomata, memorabili; incipiente paroxyſmo horror & dolor in dorſo ſe exerebant; aderat tuſſicula, qua progrediente exoriebatur ructus continuus, ita ut horæ unius ſpatio trecentæ numerarentur ſtomachi veluti exploſiones; deinde vero incandeſcente æſtu, hæc omnia excipiebat delirium, cum motibus convulſivis, caput, pedes & brachia & maxillam infernam exagitantibus; diſtentum erat abdomen, & urgebant leipothymiæ, concidente autem febrili impetu, qui ad horas 8, 9, vel 12 protrahi ſolebat, concidebant omnino tetra quæ jam memoravimus ſymptomata, interim purgantibus, levibuſque aliis remediis ceſſerunt omnia feliciter.

Scorbutus, ut eſt ipſe, ſi quibuſdam credatur, admodum protheiformis, ita febribus variam inducit ſpeciem; juxta quoſdam nimirum ipſum aliquando æmulatur febris, & tunc paroxyſmi maculas per univerſum corpus dejiciunt, maculas inquam, quæ in apurexia delentur, & quæ vel pûrpureæ, vel nigricantes aut lividæ ſunt; at hæ maculæ ſcorbuti nomine donari nequeunt, cum ex febrili æſtu, & febrilis veneni natura pendere videantur; ægros vidi inde emergentes, qui deinde ſcorbuticæ labis immunes fuerunt; quod vero

ſæ-

ſæpius occurrit, ſcorbutus ſimul cum febre incedit, multaque ſecum advehit phænomena, quæ nequaquam ex ea pendent; nil autem habet mali moris ejuſmodi febris, ſaltem ut plurimum; contumax ſolummodo eſſe ſolet; interim variis ſtipatur ſymptomatibus, pro varia ſcorbuti natura, aut vario ejuſdem gradu.

Ex erratis in curatione, aut ex febribus ipſis ſuboriri poſſunt ab eis aliena ſymptomata; quod ex erratis impendeat aliquando diſcrimen, cuique notum eſt; quod vero ſpectat ea, quæ ſponte ex ipſo febrili veneno ſequuntur, aut ſequi poſſunt, *Ballonii* referemus obſervationem; quartanariis, inquit, præſertim quibus ſicca ſunt viſcera, multi eliciuntur ſudores, & vix allevantur; quibus autem non manant ſudores, dolores *oſtecopi* oboriuntur in tibiis, brachiis, lateribus & ſterno; imo ad claviculas tantus inſurgit cruciatus ut pleuritidem mentiatur; quantum autem is ſæviat aliquando incredibile eſt; atqui ejuſmodi ægris leviſſima medicamenta & præſidia proſunt; ex ſimili haud dubie quorundam ægrorum caſu orta nonnullorum opinio, qui in pleuritidem abire quartanam tradiderunt.

Videbitur fortaſſe me in his omnibus propoſitum non attigiſſe ſcopum, iis neceſſe fuiſſet, inquient quidam, magis immorari, quibus ſecerni poſſunt aliena a febre intermittenti ſeu remittenti ſymptomata; at primo quidem per ſe patent multa, quæ breviter expoſuimus; deinde vero poſt paroxyſmum primum ſtatui ut plurimum poteſt quid ad ejuſmodi febrim pertineat; denique certis ob-

ſervationibus moneri ſufficit in eam tranſire poſſe quoſdam affectus; multa profecto occurrunt in arte, quæ ſuſpicari tantummodo poſſumus; ex ſuſpicione autem ad pleniorem naturæ cognitionem aſſurgere licebit; incumbendum obſervationi ad obductam morbis caliginem depellendam; & ſic ad ignota fiet ſenſim aditus.

CAPUT X.

De partium vitiis, quæ in cadaveribus poſt febres intermittentes tum remittentes reperiuntur.

EJuſmodi ſunt, quæ vigente vita in corporibus obſervantur; reliquum eſt ut expendamus quænam in cadaveribus occurrant febrium veſtigia; mirum eſt ſane eos, qui de morbis ſcripſerunt, non majori ſtudio inveſtigaſſe quid morte ipſa edoceamur; ſolis enim partium detectis vitiis, quid earum perturbarit motus, functiones ſuſtulerit, eaſve læſas ſequatur, noſſe poſſumus; eſt quidem ubi nulla obſervetur labes, quæ in toto corpore incuſari poſſit; at id ipſum ignorare non licet; inde enim, id eſt ex nulla mali ſede reperta, ad veras ſubtilioreſque cauſas mens poteſt aſſurgere.

Cautione tamen opus eſt, ne iis ipſis decipiamur, quibus morborum cognitionem aſſequi poſſe ſperamus; non cauſas ut plurimum, ſed earum effectus, corporum ſectione attingimus; deinde

vero

vero eſt nonnunquam dubitandi locus, num accurate inſtitutæ ſint obſervationes; iis ſolummodo, quæ a quibuſdam, quorum ſpectata fides & induſtria obſervata ſunt, confidere poſſumus.

His rationibus inductus, ſumma qua potui diligentia, quæ in cadaveribus poſt febres intermittentes occurrerent inquirendum exiſtimavi; non equidem hic agendum cenſui de iis omnibus, quæ reperiuntur in corporibus febre remittenti compoſita defunctis; veneni febrilis vi obruitur vitalis ſpiritus, impetitur caput, labefactantur aliæ partes; ſpaſmis & irritatione omnia perturbantur, & inde mors.

Obſervandum tamen, quod magni momenti eſt, poſt ejuſmodi febres, aliquid ferme ſemper circa hepar occurrere; cum in eo ſtagnet ſanguis, turgentia reperiuntur meſenterii vaſa, & nigerrimo ſucco videntur repleta; glandulæ excipiendis vaſis lacteis dicatæ inflammationis ſpeciem præ ſe ferunt; memorantur & circa eas obſervati abſceſſus; unde in has partes, & in jecoris imprimis ambages recidiſſe morbi vim licet conjicere; patebit idem ex eorum ſectione, qui ex febre intermittenti mortui ſunt.

Intermittentes autem ſimplices, aut quæ in hecticas, ipſiſve ſimiles abierunt, varia in certis corporibus relinquunt ſui veſtigia; hæc tamen in quibuſdam partibus potius quam in aliis ſolent occurrere; caput v. g. inſons reperitur, licet nonnunquam graviſſimis torqueatur doloribus; fertur equidem turgentia occurriſſe vaſa circa cere-

brum; at fatiſcente vita in venas propellitur ſanguis, in iiſque ſtagnaſſe videtur.

Circuitus vero & reſpirationis organa, multa, ut diximus, patiuntur; ſanguine nigro turgent cordis atria & pulmonis vaſa; fit illuvies inter minimos ejus lobulos, effuſa ſe prodit aqua in thoracis cavo, ea turget in quibuſdam pericardium; id imprimis obſervatum in iis, qui in maritimis oris febre intermittenti confecti occubuerunt.

Ventriculus, cum vomitu toties ſubvertatur, non mirum, ſi, ut diximus, flatibus omnino diſtentus reperiatur; eo procedit aliquando diſtenſio & irritatio, ut dubitari nequeat, quin inde mors ſucceſſerit; ſpaſmo ſcilicet inſurgente multi ſublati ſunt; vidi homines, qui cum febre liberati viderentur, poſt cœnam turgente ſtomacho fato functi fuerint; in his mire intumeſcebat pars hæc flatu diſtenta, vel aqua turgens, aut aliis ingeſtis obruta.

At hepati imprimis inuſta reperitur labes; albidum eſt ut plurimum, & veluti exſangue & maceratum; nonnunquam mole auctum, induratum, glandulis flavis obſitum, alias vero ſanguine turgens, eoque nigerrimo; fuere in quibus poſt duplicem tertianam abſceſſum reperi, in quibuſdam vero venam portam in tubum ampliſſimum abiiſſe obſervavi; multa alia a nonnullis memorantur de hujus viſceris vitiis; inſigniter tumefactum ſe obtulit; obſtructi omnino occurrerunt meatus per hujus ſubſtantiam reptantes; bile turgens & obſtructa reperta eſt veſicula fellea.

Pan-

Pancreas non minus afficitur veneni febrilis vi; in nonnullis cadaveribus quædam tantum ejus partis puncta videntur obſtructa; in aliis univerſa ejus moles ſcirrhoſa, aut inſigniter aucta ſe obtulit; fuere qui abſceſſus obſervarint in ejus textu; in ipſo autem ea de cauſa, quidam, ut diximus, febrium intermittentium fomitem latere crediderunt; ſed mirum profecto non eſt in ejuſmodi partem incidere obſtructiones, cum ſanguis per venas hepaticas curſum ſuum abſolvere nequeat.

Eadem de cauſa incuſatus fuit lien, excreſcit nimirum in ſummam aliquando molem, imo brevi temporis ſpatio eam ita excreviſſe vidi; quod vero magis mirum, in quibuſdam ægris in naturalem rediit ſtatum, nullis niſi antifebrilibus adhibitis medicamentis; ſed aliud incurrit non raro vitium pars hæc; repletur nimirum ſanguine craſſiori, piciſque inſtar nigricanti; abit dein in putrilaginem, ita ut in quibuſdam crepuerit. Erat mulier quartana laborans neglecta; cum vero ſolitis muniis vacaret ægra hæc, repente concidit mortua; in diſſecto cadavere, lienis ſoluta compages reperta eſt, multaque ſanguinis copia per abdomen effuſa.

Inde patet quam multa, ut diximus, recidant vitia in peritonæum & meſenterium; in iis memorantur reperti ſcirrhi & abſceſſus; ego vero luſtratis his partibus læſas præſertim obſervavi meſenterii glandulas; in pueris maxime eas obſtructas & in molem aſſurgentes vidi; non ejuſmodi quidem ſunt in adultis, at in iis ſanguine ſtagnante, nigro, amurcæ ſimili, turgent vaſa meſerai-

ca; in peritonæi vero duplicatura occurrerunt varii tumores, qui illuviei anſam præbere ſolent, aut ejus ſunt effectus; concreſcunt ſcilicet liquida ſtagnantia, & in ſteatomata ſæpiſſime abire ſolent.

In inteſtinis nonnulla obſervantur, quæ febri tribui poſſunt; ſæpe, ut diximus, valde tumida ſunt; ex eo autem quod intumeſcant variis in locis, ſequitur quod in aliis conſtricta ſint; varias anguſtias imprimis in inteſtino colo reperi, eaſque illo plerumque loco, ubi renem ſcandit ſiniſtrum, & infra eum demergi videtur, antequam in inteſtinum rectum abeat; ex ejuſmodi autem anguſtiis multa ſequuntur, quæ hic prætermittenda ſunt, & quæ facile prævideri poſſunt.

His ita ſe habentibus, expendendum videtur quid præcipue eis doceamur; nil profecto, quod primariæ cauſæ lucem aliquam poſſit affundere; eadem partium vitia poſſunt inducere alii morbi; venena ipſa eodem prorſus modo eas poterunt afficere; nec tamen quidquam in earum occurret læſionibus, quod ad deleteriam eorum naturam & agendi rationem nos ducere queat; at patet evidenter cauſæ febrilis vim in abdominis viſcera imprimis exerere, ex ea ortum ducere ſtagnationes, obſtructiones, tumores, liquidorum degenerem conſiſtentiam, functionum hepatis & meſenterii læſionem, &c. qui autem ejuſmodi noverit effectus, eos diligentius præcavere poterit, remedia ſeligere ad curationem aptiora, ea temperare, vel immutare pro vario naturæ conatu; videre erit imprimis quam neceſſe ſit ſecretionibus & excretionibus conſulere.

LIBER TERTIUS

DE REMEDIIS GENERALIBUS TUM PECULIARIBUS AUT SPECIFICIS ET DE EORUM VIRIBUS.

CAPUT I.

Quam difficilis ſit febrium intermittentium curatio.

SUpereſt jam inſtituenda febrium intermittentium cura; eam quidem tradere vix neceſſarium multis videbitur; nullus eſt, qui ſe curandis iis febribus imparem profiteatur; inde autem orta fiducia quod pauci, aut fere nulli ipſarum vi ſoleant occumbere; eæ aliquando ſponte ſe ſubducunt, aut facile in multis curantur ægris; proſtant denique arcana in omnium manibus, eaque nonnunquam Medicorum aſſenſu comprobata venditantur; quæ ergo tradi poſſunt præ-

præcepta, eorumque apparatus, nil aliud præ ſe ferre videntur, niſi inanem doctrinæ oſtentationem.

Sed multa aliquando ex febrium intermittentium vi impendent pericula; de earum vario exitu ſæpe ſollicitus ſit oportet quicumque aſſidue eas obſervarit, aut qui ipſarum hiſtoriam a nobis traditam legerit; ſi ut plurimum naturæ viribus aut remediorum opera devictæ ſe ſubducant ejuſmodi febres, quot ſunt ægri, qui eis vigentibus, aut perverſa methodo curatis, immedicabiles incurrant viſcerum obſtructiones? intermittentes vero, quæ in continuas aut larvatas toties abeunt, quis non reformidarit, cum tetra ſymptomata & inde improviſa mors ſæpe poſſint impendere?

Ipſas intermittentes ſimplices in multis ægris expugnare difficile eſt; quot occurrere ſolent, qui per annos integros eas miſere trahant; qui a Medicis ad circulatores confugiant; qui denique ab ipſa natura, aut caſu aliquo, quæ ars denegarit, aut præſtare nequeat exſpectare cogantur? imo non ſine magno ejus dedecore nil moliendo magis proficiunt non pauci, quam ea tentando, quæ cum apparatu præcipiuntur; non raro autem, imo & ſæpiſſime eo devenire curæ labores dolendum eſt; quivis, quantumlibet ingenio & doctrina præſtans, febrium reluctans ingenium & medicinæ experitur inopiam.

Huc accedit quod ipſa curandi ratio in ægrorum perniciem verti poſſit; ea enim ſimplex febris in continuam ſæpe commutatur; remedia ipſi fugandæ idonea ejus venenum altius infigunt; unde

quæ

quæ ſponte fortaſſe exceſſiſſet, in plures menſes, imo & in annum protrahitur; quin etiam multa, dum curant aut curare videntur, non innoxia ſunt, acerrimum calorem concitant, partibus variis labem inurunt, earum vaſa obſtruunt, in eas periculoſa dejiciunt morbi ſemina, paroxyſmos denique ſolummodo coercent, iique deinde non raro majori reſurgunt impetu; inde aliquando hectici affectus, ex quibus difficile emergunt ægri.

Quod autem vix credi poſſe videretur, non minus opinio quam doctrina in medendi arte invaluit, & inde difficilior evaſit curandi ratio; notum quantæ exortæ ſint lites de remediis ipſis; alii alia venditant, non diſſimilia ſolummodo, ſed adverſa; quæ nullis aut incertis pollent viribus, magnis efferuntur encomiis; quæ periculoſa ſunt, ut tuta jactantur; quæ qandoque ſolummodo bene ceſſiſſe viſa ſunt, ut ſemper proficua commendantur; quæ denique riſum potius quam fidem merentur, ſumma cum fiducia obtruduntur; ut nulla eſt ridicula opinio, quæ authorem non habuerit Philoſophum, ita nullum abſonum noxiumve remedium, quod cujuſdam Medici arcanum non fuerit.

Sed quod magis mirum occurrit, eſt inter variarum gentium Medicos de ipſis remediis experientia comprobatis perpetuus diſſenſus; eo minus id condonandum quod eam omnes ſibi vindicent ut magiſtram & ducem; atqui tamen multi ea innixi veris diffidunt febrifugis; ſi quam eis concedant vim, ea arctis concluditur limitibus; eiſdem vero utentes vix de methodo conſentiunt; ita

in-

incertis opinionibus miſerorum hominum traditur vita.

Eorum remediorum delectui, quæ detexit & adhibuit quorumdam Medicorum accurata ſedulitas, non minus adverſatur natura; ipſa in morborum curatione nobis videtur illudere; calidis aliquando & frigidis æque curatur febris; profuerunt his acria, aliis demulcentia; quibuſdam vinum & ſpiritus vini; non paucis aqua affatim hauſta feliciter ſucceſſit; venena ipſa variis curationibus fuere inſignita; nil denique ferme eſt, aut noxium aut innoxium, quod tertianas, vel ipſas quartanas non curaverit; imo cum ratione duce eas incaſſum aggreſſi ſunt Medici, evenit non raro ut perverſa methodo fugatæ fuerint.

Via igitur, quæ ad febrium curationem ducit, non ita expedita, ſed e contra valde lubrica eſt; quo major proſtat remediorum ſuppellex, eo magis in ancipiti hæret animus; quomodo enim, quæ tam diverſa ſunt, imo adverſa, idem præſtare poſſunt? ne autem mero dubioque empiriſmo in eorum ducamur uſu, videndum quam rationem cum febre & ejus curatione habere poſſint.

Nec profecto quærendus nodus in cauſæ febrilis natura; ea nobis nondum innotuit; nec minus recondita eſt remediorum antifebrilis vis; quare intermittenti febri potius quam aliis medeatur omnino ſtatui nequit; multa equidem finxerunt multi; at quo plura in medium allata ſunt, eo magis liquet rem eſſe incertam; reliquum eſt ergo, ut iis, quæ ſenſibus magis obvia ſunt, incumbamus; perpendendum nimirum quid efficiat febri-

le

le venenum, & quid natura ad illud expellendum moliri ſoleat; ita fortaſſe eluceſcet quid præſtent tot remedia, quæ toties inexſpectatos proficuoſque edunt effectus.

CAPUT II.

Ut natura febres intermittentes curet.

VEneno febrili varie obſiſtit naturæ vis, in eoque amovendo varie laborat; inſurgit nimirum inter ipſum ipſamque pugna, cujus varius exitus pro utriuſque inæquali impetu; hic profecto, ſi uſpiam, veri ſpeciem præ ſe fert *Sydenhami* opinio, qui febrim naturæ conamen ad aſſequendam curationem eſſe contendit; ne tamen doctrina, quæ cum vera philoſophia parum conſentit, noſtro aſſenſu comprobari videatur, quid de ejuſmodi conamine ſtatuere liceat paucis oſtendemus.

Non fingendus profecto in œconomia animali præſes quidam valetudini ſervandæ, aut morboſis cauſis impugnandis & amovendis præfectus; ſenſu vivimus & movemur; ſeu potius ex ſentiendi vi & ex partium ſtructura ſequuntur vitæ motuſque perennis leges; præcipua autem ex iis eſt, ut admoto febris ſtimulo ſtatim in motum agantur nervi; atqui hoc motu ſeu conamine excutitur ſæpe quod vim infert; ſit v. g. ſpina cuidam parti infixa, vel ſit materia acrior alicubi col-

collecta, irritentur oportet fibrillæ nerveæ circumpositæ; necesse est nimirum ut veluti insurgant adversus urgentem stimulum; tale est autem febrile venenum; si enim acrius non urgeat aut deleterium non sit, naturæ excandescentis conatu superatur & expellitur.

Hunc conatum, seu hanc pugnæ speciem videre est, cum in paroxysmos erumpit febrile venenum; in iis enim febris, per aliquot horas vigens, tandem restinguitur; seu venenum, quod eam accendit, corporis robore tum calore, tum arteriarum motu subigitur; multum ergo vitæ & internarum virium instrumenta in ipsum possunt; ita ejus infringunt vim, ut postquam exarsit universa partium compages, leniſſimus sequatur somnus, eoque refecti vix ægrotasse videantur.

Nihilominus cum deferbuit corpus, remanet mali fomes; inde novus hostis & nova imminet pugna; postquam enim febris per certum tempus quievit, vel novo proventu auctum, vel resumptis viribus, iterum excandescit venenum, ita ut alternis resurgat & concidat; at si nimia ejus non sit vis, effœtum tandem remittit & postea evanescit; febris enim ut plurimum temporis labentis beneficio desinit; quot sunt ruri, alibique, qui absque ullo medicinæ restituuntur auxilio? en igitur iterum victrices naturæ vires; iis in subsidium venire, ipsas regere, exsuscitare & firmare Medici est; & quidquam aliud vix præstare potis est.

At quomodo natura ex hostili eo miasmate se expedit? non alia profecto ratione atque in cæteris

teris morbis ; in iis enim cauſam devincit morbificam ; eam nimirum immutat, ſubigit, atque tandem prorſus devictam varie eliminat ; aliquando vero per metaſtaſim in quaſdam partes eandem ejuſve reliquias dejicit ; hæ ſunt perpetuæ, quas ſolet ſervare leges ; nec ab iis, niſi perturbata aut impotens, ſolet diſcedere.

Inde pendet univerſa motuum criticorum ratio ; naturæ videtur ſcopus, in quem ipſa omnes intendit vires, ut cauſas morborum vel ſenſim & repetitis expellat conatibus, vel impetu facto eas quaſi uno ictu excutiat, totumque corpus noxiis humoribus expurget ; hæc autem expurgatio præcipue judicium ſeu *criſis* vocatur ; jam vero ea in febre intermittenti, non minus quam in continuis, ſolemnis eſt ; &, ſi antiquioribus credatur, quolibet veluti hujus febris greſſu præparari & prænuntiari ſolet.

Et primo quidem, juxta eorum obſervationes, tertius paroxyſmus videtur gravior, ſextus graviſſimus, ſeptimus denique, qui ultimus eſſe ſolet, mitius urget ; ſed tunc vel lenis ſudor, vel diarrhœa ſuccedit, aut utraque via ſe proripit morbi cauſa ; ſerius tamen id evenire poſſe certum eſt ; nam poſt ſeptimum, aut etiam nonum, incidunt hi naturæ motus ; imo longius ſæpe protrahitur febris ſolutio.

Fatendum interea quod, teſtantibus Viris clariſſimis, qui rem accurate videntur exploraſſe, in multis ægris nulla, aut incerta occurrant criſeos veſtigia ; ſed tunc præcipue, cum remediorum vi, intempeſtivo uſu, aut farragine pertur-

bata

bata ſunt naturæ conamina ; forte etiam ea qua par eſt diligentia non obſervati ſunt critici motus ; & cum febrim tacite aut abſque magno impetu ſuſtuliſſent , defuiſſe eos curationi immerito viſum eſt .

Varii autem ſunt naturæ conatus , quibus ex febri ad valetudinem ducimur ; non mirum eſt ergo ſi multæ ſint criſeos ſpecies , aliæ magis , aliæ minus conſpicuæ ; & primo quidem puſtularum , de quibus jam egimus , circa labia eruptio febris ſolutæ prænuntia eſt ut plurimum , ſicut cuivis notum eſt ; ut plurimum inquam , nam aliquoties cum iis decurriſſe pertinaciter obſervatus eſt morbus ; non niſi imperfecte ſcilicet ejecta eſt tunc veneni febrilis minera .

Scabiem ſimiliter , & exanthemata per totum corpus erupiſſe obſervatum eſt , & febrilem abſtuliſſe fomitem ; imo iis repreſſis eundem iterum eſſe exſuſcitatum memoratur ; at mihi in tot ægris meæ curæ commiſſis id videre raro contigit ; non ſæpius mihi occurrit phlegmon , quo in partem aliquam decumbente , ſublata fertur febrilis cauſa ; unde inſolens oportet ſit critica hæc eruptio .

Evaneſcit , juxta *Hippocratem* , febris intermittens ſe exerente ictero , idque in quadam imprimis obſervavi epidemia ; ſed quod refertur a *Platero* mihi videre non licuit ; cum is ſcilicet morbum hunc bile per totum corpus diffuſa ſecedere fateatur , inde alvi cruciatus enormes ſucceſſiſſe teſtatur ; & poſtea reſolutiones & convulſiones ; peculiaris haud dubie adfuit eorum affectuum cauſa , nec motui critico , ut mihi vi-

de-

detur, tribui poteſt; id ſaltem omnino inſolens eſt.

In caput etiam dejecta febrilis cauſa vi ſua omnino ſpoliari viſa eſt; nam, referente *Williſio*, ſurditate de repente oborta concidiſſe certum eſt; ego vero quandoque obſurdeſcere ægros obſervavi, ſed non ideo febre liberati ſunt; febrifugis ad eam penitus amovendam opus fuit; non hic autem de parotidibus, quæ aliquando in ejuſmodi occurrunt morbo, multa dicam; ter aut quater mihi occurerunt ſolummodo, nec quid inde ſucceſſerit meminiſſe licet; ſed probatur iis evidenter materiem febrilem viſceribus, ſi in ea recidat, ſumme noxiam eſſe poſſe.

Occurrit mihi caſus materiæ febrilis motum apprime demonſtrans; erat vir tertiana laborans ſimplici; ut autem ea intra breve tempus ſecederet, ſtatim, præterpropter, magna corticis Peruviani vis ægro eſt ingeſta; repreſſi quidem paroxyſmi; at eorum loco acerrimus dolor in crure altero exortus eſt; hinc intumuit pars affecta, & ad ſuppurationem vergere omnia viſa ſunt; cum vero nil moliendum videretur, niſi ut turgenti materiæ ferro aperiretur exitus, ſe unius noctis ſpatio propripuit ipſa, evanuitque penitus tumor; quæ autem eo concluſa erant liquida puris inſtar per urinarum vias dejecta ſunt.

Caſus, licet raro occurrentes, hic referre viſum eſt, quia iis poſitis de naturæ criſim molientis labore dubium eſſe nequit; ſi in quibuſdam ita ſe prodat, certum eſt eundem in iis ægris impendi, in quibus minus ſit conſpicuus; teſti-

mo-

moniis interim, quæ huc adduxi, vix opus videtur; pedum tumores, ut cuique notum, criticos eſſe aliquando certum eſt, cum iis apparentibus evaneſcere ſoleant paroxyſmi; idem ſentiendum non raro de alvo intumeſcente; in eam quippe dejicitur febrilis materia e ſedibus ſuis depulſa, ſive undequaque in unum locum confluens; judicari potuiſſet perfecte febris, ſi in inteſtinorum colatoria, aliaſve excretorias vias converſus eſſet conatus ejuſmodi.

Sed minus dubii ſunt alii motus, quibus judicantur febres intermittentes; ſublatæ ſunt eæ non raro hæmorrhagiis, bilis atræ ſeu ſanguinis nigri in meſenterio ſtagnantis effluxu, bile ipſa flava per vomitum rejecta, diarrhœa ſponte ſuborta, ſudoribus aliquando profuſis, alias vero lenioribus, diuque protractis; in urinis denique, in earum ſcilicet copia aliquando, & ſedimento imprimis, ut alias dicemus, ſoluti aut fatiſcentis morbi prodeunt ſigna, quæ ſedulo inſpicientem latere nequeunt.

Non equidem velut impetu facto, ita ſe undique proripit febrile venenum; modo hæc via, modo altera huic patere ſolet; ſæpius autem diarrhœa expurgatur, aut urina copioſa, leve albumque ſedimentum dejiciente; non raro tamen leni madore aut tranſpiratione aliquatenus fœtente fieri ſolet ejuſmodi expurgatio; quæcunque autem hæc fuerit, repreſſis paroxyſmis illico exſpectanda ſemper non eſt; ſilent ii ſæpiſſime, remanente febrili cauſa; eaque non niſi poſt aliquot aut multos dies difflatur; unde obſervandum

dum accurate quid in convaleſcentibus contingat; ratum fixumque ſit, ut inquit *Albertinus*, nullum ferme curari perfecte, niſi quodam accedente critico motu; inconcuſſa ergo remanent, quæ de criſi febrilem fomitem exhaurienti jam dicta fuerunt.

CAPUT III.

Ut ad eos naturæ motus referri poſſint curationes ſingulares, quæ caſu fieri, aut remediis, quæ nullam cum febre rationem habere videntur.

VEneni febrilis naturam nobis eſſe omnino ignotam inde imprimis liquet, quod vera remedia ſæpe reſpuat, quod alienis a febre, ridiculis, aut etiam non innoxiis expellatur, quod caſu denique, potius quam arte, toties difflari ſoleat; ut autem hæc planiora fiant, quædam ſtatim huc attinentia ex Antiquorum præmittemus doctrina.

His in more erat ad curandas febres inſignem aliquam mutationem aut motum inducere; Medici cura, inquit *Celſus*, eſſe debet, ut morbum mutet; ideo aqua frigida corpus perfundi jubet, quia, juxta eum, ſic evenit, ut horror inde oriatur, & fiat initium quoddam novi motus, ex eoque, cum corpus incaluit, ſequatur etiam remiſſio; eundem etiam in ſcopum, ſi diu frigus

ſit & torpor & jactatio corporis, calidiora ægris exhibenda cenſet; iis enim intenditur ſæpe febris, & major ortus calor priora mala tollit & ſpem remiſſionis inque ea curationis oſtendit.

Ea quidem aut ſimilia qui tentarunt temeritatis notam effugere non poterant; ſed ægri, qui ſub cautioribus Medicis trahebantur, interdum ejuſmodi remediis reſtituti ſunt; deinde vero minus culpandi antiquiores Medici hujus methodi ineundæ authores; legem enim ab œconomia animali non omnino alienam ſequuti videntur; ſi quo autem in morbo non male ceſſerint temerarii ejuſmodi auſus, maxime in febre intermittenti; in ea imprimis nos docuit natura, remedio eſſe poſſe inſignes ſubitaſque mutationes.

Iis innituntur plurima, quæ ad eas illuſtrandas curationes, in quibus caſus ſibi plus quam ars vindicat, jam dicturi ſumus; plurima inquam, non vero omnia, inde pendere oſtendemus in ejuſmodi curationibus; ad alia enim, eaque multa, reſpiciendum, ut naturæ aſſequamur vires, quæ omnino variæ ſunt; ad eas dignoſcendas quædam iterum ex iis, quæ jam diximus, hic memorare operæ pretium erit.

Statim autem, cum, ut diximus, naturæ viribus ſubditum ſit febrile venenum, & cujuslibet paroxyſmi vi mutari & diffiari poſſit, patet, quid multa in ipſum poſſint; quæcunque nimirum motum validiorem concitant & calorem inducunt, febrim fugare poterunt; ideo exercitatio, ſpirituoſus potus, crapula & ingluvies, excalefacientium uſus, toties vera fuerunt remedia, incerta tamen

ſem-

ſemper & periculoſa; ipſis enim irritatio nimia & caloris acrior vis exſuſcitari poteſt, & accendi gravior aut continua febris.

Cum ea autem ſit veneni intermittentis natura, ut per vomitum, diarrhœam & ſudores elabi poſſit, patet iterum quanta eſſe poſſit variorum remediorum in febrile venenum vis; non mirum v. g. eſſe poteſt ſi emeticis & purgantibus draſticis, ſi ſudoriferis calidioribus toties ſublatæ ſint ejuſmodi febres; præterquam enim ejuſmodi medicamenta naturæ ductum, ſeu viam, in quam ipſa inclinat, ſequuntur, totum corpus concutiunt aut commovent; ut interea evacuationibus ſpontaneis non ſemper exhauritur morbi fomes, ita nec iis, quæ arte excitantur; ad perfectam aſſequendam curationem oportet ut nil ex eo ſuperſit; patet id v. g. ex ſudoribus, qui paroxyſmos excipiunt; ſi eis quidam ponatur obex, ſuccedit gravitas & anxietas, & ſubſequentibus paroxyſmis adduntur vires.

Non tamen tantum naturæ conatum in organis excretoriis ſemper poſtulat febrile venenum ut expelli poſſit; ſæpiſſime ſaltem non ita ſenſibus obviæ ſunt evacuationes, quibus difflatur ejus vis; ſic enim comparata eſt, ut verno tempore & æſtivæ tempeſtatis calido halitu ſubigatur; atqui tunc nil aliud accidit niſi rarefactio univerſalis, qua pervia fiunt conſtricta ante colatoria, tum vaſcula, in quibus ſtagnans hærebat ſanguis; his autem apertis viis in motum aguntur quæcunque fluida, & ſenſim expurgantur partes omnes; quæ calorem ergo naturalem, & ſecretiones tum excretiones leniter promovebunt, fe-

bres curare apta erunt ; atqui innumera ſunt, quæ ejuſmodi pollent viribus.

Hoc ita certum eſt, ut ad curandas febres nil aliud aliquando requiri videatur, niſi magis expedita circuitus via; hæmorrhagia v. g. profuſa, hæmorrhoidum effluxus, ſanguis e vena emiſſus, non raro febres radicitus ſuſtulerunt; atqui tunc tantummodo deplentur partes, quæ antea turgebant, facilius moventur quæ ſuperſunt in vaſis liquida; hinc patet quantum poſſint quæcunque his fluxilitatem conciliant, & impedimenta removent; atqui ea præſtare poſſunt innumera, quæ ubique proſtant; aperientia v. g., ſaponacea, & amara imprimis, in quibus lenis viget ſtimulus, vaſcula minima ſollicitans, eaque in motum agens. Iis nititur prima quam trademus methodus; ea nimirum, quæ febres intermittentes, non peculiaribus remediis, ſed generalibus, atque iis, quæ in aliis morbis uſurpantur, curare poteſt.

Ut vero expelli aut difflari poteſt febrile venenum laxatis ſecretionum organis, ita conſtrictis partibus poteſt in iis retineri, nec tamen incandeſcere, aut in paroxyſmos erumpere; probatur id hiemali frigore, quo, conſtrictis corporibus, deſinunt febres ut plurimum; atqui tamen remanet ſæpiſſime intactus mali fomes, cum deinde, verna nimirum tempeſtate, idem omnino toties prodire ſoleat; num autem ſtatui poteſt quod frigus efficit idem præſtare adſtringentia quædam; iis tolluntur aliquando paroxyſmi; at certa nequaquam eſt ejuſmodi curatio; ſublata enim re-

vi-

viviſcere ſolet febris, & ni alia in ſubſidium veniant, oriuntur obſtructiones, quæ mali cauſam altius viſceribus ſolent infigere.

Mirum profecto videbitur ita, velut in quodam receſſu, retineri febrile venenum, ut febrim non concitet; ſed, ut jam diximus, in abdomen aliquando detruditur, & tunc in paroxyſmos non excandeſcit; nihilominus febre iterum exorta, iis ex loculis, in quibus iners latebat, non raro expellitur, imo omnino diffiatur.

Inde autem aliud non parvi momenti ſequi videtur; ut nimirum ſubita febris vi, motuque ab ea concitato excutitur e variis partibus febrile venenum, ita poteſt idem alia de cauſa, commovente & irritante, e ſuo depelli fomite, & ex univerſis corporis latibulis.

Eſt v. g., ut cuique notum, ubi caloris vi rarefaciente, unica aliquando venæ ſectione, motu intenſiori concitato, concuſſione emetici medicamenti, reſerata ſecretionum via, expelli poſſit febrile venenum; quidni autem nervorum motus idem præſtare poſſit? iis exagitatis retroaguntur ſæpe exanthemata, diſcutiuntur varii tumores, ſpiritus animalis in paralytica membra agitur, podagræ cauſa ex partibus ea affectis evocatur; atqui febrilis fomes ſimiliter tolli poteſt, & miaſma in eo latens alio amandari; ut id evaneſcat non aliud quidquam requiritur ſæpiſſime, niſi ut e ſede ſua dimoveatur, ſanguinis aucto impetu; nonne autem nervi eum concitant & augent variis in caſibus?

Multa ubique occurrunt exempla, quibus id lu-

culenter confirmari poteſt; calore & exercitio, ira & terrore, ut & dolore acuto, imo & crapula ipſa aliquando, uti diximus, depulſa fuit febris; remedia ipſa validiſſima, id eſt quæ valide corpus exagitant, antidota eſſe viſum eſt; plurimos vidi, qui pulvere pyrio, ſulphure, carbonibus in pulverem redactis, radice centaurii majoris; plures, inquam, vidi, qui iis omnibus commixtis & ingeſtis a febre pertinaci ſe vindicarunt.

Quod vēro vix credi poſſet, corpora algore febrili rigentia, in aquam frigidam demerſa, ſæpiſſime omnium ſymptomatum febrilium immunia fuerunt; hoc in more eſſe obſervavi quibuſdam levis armaturæ militibus, ut ſe in flumen demitterent: ſicut ergo prudenti medendi ratione, ita & temerario auſu aliquando tolluntur febres intermittentes: at recidit hoc in *Patronis*, qui non multo poſt *Hippocratem* degebat, & in *Cornelii Celſi* jam memoratam methodum.

Sed ut moventia & evacuantia remedia, ita & alia, quæ liquida immutant, febrim curare poſſunt; ex obſervatis patet, ut diximus, putridī quid veneno febrili ineſſe; idem ſequitur ex copioſo bilis proventu; hæc enim ad putredinem inclinat, & ex ſanguinis diſſolutione ortum trahit; videntur ergo antiputrida ad febrium curationem indicari; ſed id luculentius confirmatur variorum remediorum effectu; multa proſtant, ut videbimus, ejus generis, licet contraria videantur; in varietate autem ejuſmodi, ſola poſſumus doceri experientia, quænam aliquoties ſuc-

ce-

cedant, & quænam ut plurimum certo prodeſſe poſſint: hinc ex quadam rationis luce in empiriſmum iterum devolvimur.

In quibuſdam interim remediis latent vires omnino diverſæ ab iis, de quibus jam actum eſt; videntur ſcilicet eæ peculiares & ſpecificæ; de iis ita ſentiunt viri doctiſſimi, & experientiam in teſtimonium advocant; at quamvis gravioribus omnino argumentis in hanc ſententiam adducti ſint, fateor mihi de ea ſæpius injectum ſcrupulum; novi equidem tetra ſymptomata vitæque infeſta, veluti pulveris exigui jactu, conquieſcere, & obrui febrile venenum; nihilominus ſævit illud ſæpiſſime quæcunque adhibeantur febrifuga; alias in certas partes amandatur, compreſſis tantummodo paroxyſmis; num ergo impediri ſolummodo aut refrænari ejus vim & averti ipſius excandeſcentiam cenſendum eſt? atqui ita non extinguitur aut deletur venenum hoc; ſed objicitur ei veluti repagulum.

Non tamen hæc ita accipi velim, quaſi veram omnium febrifugorum agendi rationem me aſſecutum eſſe crediderim; id mihi tantummodo fuit propoſitum, ut oſtenderem multos eorum effectus cum naturæ conatibus ſeu ipſis legibus conſentire; graviter profecto erraret, qui ex iis ſolis, quæ diximus, haberi poſſe remediorum delectum exiſtimaret; ad experientiam ſemper deveniendum; ab ea diſcendum quid valeant? quodnam ſit aliis præſtantius? quid curando efficiant? nullum erit tutum certumque, quod longo uſu & accurata obſervatione comprobatum non fuerit; ne autem in

eorum æſtimandis viribus ſit errori locus, quædam hic in genere præmittemus.

Et primo quidem, quæ ſibi non conſtant, vel quæ plerumque non ſuccedunt, ut remedia haberi nequeunt; atqui talia ſunt multa, quæ circumferuntur, & quæ ut antidota venditantur; longius autem ableganda, quæ periculi quid habent; ejuſmodi ſunt acria & calidiora, quæ ſemper ferme, etiam dum curant, noxia ſunt; ejuſdem denique ſint cenſus oportet, quæ viribus adeo adverſis donantur; ex duobus enim omnino contrariis alterum noceat oportet, ſi validior ſit eorum in corpus actio.

Ex tot curationibus, quæ his remediis tribuuntur, nil deduci poſſe patebit, ſi earum veram inſpiciamus cauſam; ejuſmodi enim eſt febrilis veneni ingenium, ut ad febris intermittentis curationem nil aliud requiri aliquando videatur, ut diximus, niſi quædam inſignis ſubitaque mutatio; atqui omnia, quæ eam poſſunt inducere, certa non ſunt remedia; ſi enim in uno ſuccedant, in innumeris fallent; imo ſi ſcopum non attingant, & veluti uno ictu febrim non tollant, omnia in pejus ruent.

Cum igitur, per tam intricatas viarum ambages natura incedere videatur, cum adeo fallax eſſe poſſit experientia, cum denique tot & tanta ſint opinionum diſſidia, magni profecto intereſt veram indagare febrifugorum vim; in duplici autem remediorum genere inquirenda eſt ea, in remediis ſcilicet, quæ generalia dicuntur aut aliis morbis communia, deinde vero in iis, quæ ſpecifica ſunt aut febri dicata.

Re-

Remediis generalibus, evacuantibus nempe, diluentibus, & aperientibus ſumma ineſt vis; eorum uſu corpus ad naturalem ſtatum propius reducitur; circuitus enim fit facilior, partes melius ſuo funguntur officio, depravati alterantur aut ejiciuntur ſucci; aperiuntur denique viæ, quibus elabi poſſunt, quæ humores totumque corpus inficiunt; remedia ergo ſpecifica, præmiſſis remediis generalibus, certius & tutius adhiberi poterunt; his ad curationem ſternitur via, illis curatio perficitur.

CAPUT IV.

An diæta, ut fundamento, niti debeat omnium febrium intermittentium curatio.

STatim ergo inquiremus a quonam remedio initium faciendum ſit? diæta equidem ut verum curationis fundamentum habenda videtur; de ea tamen variæ fuerunt Medicorum ſententiæ; a quibuſdam ex antiquis enixe commendatur, non ut adjumentum præciſe, ſed ut remedium ipſis repetita compertum experientia; a quibuſdam vero neotericis ut noxia damnatur; utrique autem longius proceſſerunt, & opinione, potius quam ratione, ducti ſunt.

Heraclides Tarentinus, referente *Celſo*, ægros ad ſeptimum diem abſtinere jubebat; ipſe vero *Celſus* primis ipſius quartanæ diebus aquam ſolam calidam aſſumendam cenſebat; id quidem dignum

om-

omnino videri poſſet conſilium præſtantiſſimo in arte viro; ſed diebus deinde intercalaribus ad decimum quartum eandem juſſit abſtinentiam, eaque cum cæteris, quæ præcipiebat, proximum fore ut tolleretur febris exiſtimavit.

E recentioribus vero cibandos ægros crediderunt multi, & neſcio quid metuunt ipſis, ſi etiam levibus aut pauci nutrimenti veſcantur cibis; diverſas quidam obtrudunt obſervationes, quibus diætam variis ægris fuiſſe exitialem contendunt; eam ſaltem infeliciter fuiſſe tentatam in quartana teſtantur alii, qui tantum non ominantur periculum; imo effatis Hippocraticis in ſuam ſententiam detortis hæc comprobari exiſtimant.

At ratione & experientia, non vero authoritate, nos duci oportet; & primo quidem piaculum eſſet diætam ablegare in duplici tertiana; in ipſa vero, quæ tertia quaque die inſurgit non minus nocere poſſunt cibi, ſi vehemens ſit aut gravioribus ſtipata incedat ſymptomatibus; ea denique, in qua nil oſtentatur periculi, nec quidquam niſi diuturnitatem minatur, facilius remediis obſequitur, ſi abſtinentia impugnetur; cum ea ſola multæ ſublatæ ſint febres, ut verum remedium habenda eſt.

Initio imprimis, cum ſtent vires, commendanda eſt, idque eo impenſius ſi turgeat ſanguis, ſi multa adſit bilis copia, ſi putredine inficiantur primæ & ſecundæ viæ; in corpora ejuſmodi ſordibus inquinata acrius ſævit febrile venenum; novaſque ei addunt vires alimenta, quæ, ut vitæ ſubſidia, ita & morborum ſunt irritamenta; ut

ergo

ergo ingerantur, exſpectandum eſt ſaltem donec remediorum opera ejecta ſint, quæ vel optimos ſuccos in cacochyliam commutare apta ſunt.

Non initio febrium tantummodo, ſed quoties earum, quæ etiam diutius excurrerunt, ſuſcipitur curatio, commendanda eſt per certum tempus accurata & tenuis victus ratio; centies mihi occurrerunt qui ideo reſtituti non ſunt, quia ſtrictioris diætæ legibus ſe ſubjici non ſuſtinuerunt, & qui non niſi iis obſervatis ſublevari potuerunt; hoc plurimis & repetitis experimentis fretus teſtari poſſum.

Statuendum ergo eſt quænam ſit ea diætæ lex, a qua nefas diſcedere; initio ſcilicet febrium, prima die, imo & ſecunda, quantum fieri licebit ab omni cibo temperent ægri, & nil niſi aquam aut levem ptiſanam aſſumant; ſubſequentibus vero diebus, ſolis nutriantur juſculis; ita porro pergant donec remediorum opera deceſſerit febris; deinde vero ad panem elixum, & alios ſucceſſive cibos, pro febris & ægrorum natura, fiat tranſitus.

Quod magis negotium faceſſit, eſt febrium contumacia, earumque diuturnitas; in iis nimirum impugnandis non ſervandæ videntur ita ſtrictæ diætæ leges; ſi remediis v. g. obſiſtat febrile venenum, ſi ſæpius idem inſurgat cum evanuerit, aut varios adduxerit relapſus, curationem fame proſequi abſonum eſſet; id tunc agendum, juxta *Celſi* ſententiam, ut quod diu ſuſtinendum eſt, corpus facile ſubſtineat; cavendum ſolummodo, ne ingerantur edulia concoctu difficilia, & ne verſus illud tempus, quo inſurgunt paroxyſmi

xyſmi aſſumptorum onere laboret ventriculus; iis ingraveſcit morbus, aut ſi remiſerit, priſtinam recipit vim, vel ſi jam deſierit, iterum exſuſcitari poteſt.

Cum hæc omnia tot rationum innitantur momentis, mirum ſane eſt, inter Medicos variarum regionum, tantum circa diætam intercedere diſſenſum; ne autem abſtinentiam adeo metuant, Empirici Melitenſis, aliorumque vetat exemplum; illi per triginta dies, aliquando vel amplius, omnem ægris ſubduxere cibum, ſola aqua in remedium & alimentum relicta; multi autem alia methodo immedicabiles morbi ita ſublati ſunt. Non equidem eo uſque diætam urgere auſit ſapiens Medicus; ſed eam longius protrahi poſſe quam vulgo creditur certum eſt; ſenectutis tamen habenda eſt ratio; effœta corpora diætam ut juniora ferre nequeunt; quædam ſunt præterea, quæ ita effinxit natura, ut abſtinentia offendantur; at cavendum ne præjudicata opinione experientiæ rationiſque leges tranſgrediamur, ut ægrorum vulgique querelis morem geramus.

Abſtinentiam ſaltem a carnibus multa ſuadere videntur; pronæ ſunt eæ omnino in putredinem, quæ non parum, ut jam innuimus, ad ipſas febres intermittentes progignendas confert, tum ad alias omnes; unde, ſi per morem liceret, ſolam antiquorum ptiſanam, aliudve ſimile ægris acute decumbentibus commendarem; conſentit hoc cum iis, quæ apud Ægyptios obſervavit doctiſſimus Medicus; ſi in leviſſimis, inquit, febribus ingerantur juſcula carnea, brevi mutantur eæ in putridas aut malignas.

Id

Id haud dubie ex eo repetendum quod in locis calidioribus magis in alkaleſcentiam & putredinem inclinent carnes ; aliud præterea in iis non minus ſpectandum occurrit, quod ſucco ſcilicet copioſiori turgeant; cum in militum uſum copiarum Gallicarum inſignis Dux carnis bubulæ extractum exoptaret , ex eo tabellas in America, in Hiſpania, in Gallia & in Germania conficiendas curavit; quantum autem inter eas eſſet diſcriminis vix quiſquam expectaſſet; quo plus ad auſtrum vergebant regiones , eo plus nutrimenti ex carnibus extrahi poterat; quod ex libris duabus v. g. prodibat in Hiſpania, non obtineri poterat ex libris quatuor in locis borealibus ; inde ſummo huic viro deduci poſſe videbatur quare Germani Lutetiam advecti in graviſſimas inciderent febres, ſi ingluviei aut voracitati ſolitæ indulgerent.

His autem omnibus, quæ ad febres intermittentes directe non ſpectant, intelligi velim quantum in iis præſtet diæta; parcus omnino debet eſſe carnium uſus, ſaltem initio, ut diximus, & dum imprimis curatio ſuſcipitur; ſic graviſſima amoventur impedimenta, nec novo veluti admoto fomite accenditur febrile venenum; ut vero paucis abſolvam, primum ſit remedium diæta, ſeu victus accurata ratio ; habeatur abſtinentia per certum tempus, ut ſummi momenti auxilium; temperetur tamen oportet pro morbi natura, pro ægrorum viribus, & prout tempus & remedia ferunt; meminerint Medici quod ſapientiſſime monuit *Fernelius* de iis, qui intempeſtiva alimentorum opera potius quam remediis ſe refici poſſe credunt; *non ſe*, inquit, *ſed propriam alunt intemperiem*. CA-

CAPUT V.

De venæ ſectione.

QUod primo occurrit remedium, eſt venæ ſectio; fatendum tamen eſt, eam febribus intermittentibus per ſe ipſam non mederi; ideo tam ſæpe male audiit & quaſi inutilis habita; imo, ſi quibuſdam credendum, ut noxia habenda eſt; in eam forte opinionem fuerunt adducti hæmorrhagiis copioſiſſimis, quæ aliquando vires febrili veneno addere viſæ ſunt; non inde tamen ſequitur, ablegandam eſſe ſanguinis miſſionem, veluti nil boni præſtare poſſit.

Hac de re multa nobis natura & experientia obſervanda ſuppeditant; vidi ſæpiſſime febres duplices tertianas unica venæ ſectione in tertianas ſimplices abiiſſe; dimidia ergo hujus febris pars tolli poteſt miſſo ſanguine; ſed quod non minoris eſt momenti, obſervatione certa & repetita mihi conſtat paroxyſmos omnino mitiores fieri, vel ſerius redire; poſtquam miſſus eſt ſanguis, minus urget calor, parcior eſt ſudoris effluxus, dolor capitis eſt levior, functiones denique omnium partium melius procedunt.

Sit igitur ratum fixumque, ſi venæ ſectio febriles non tollat inſultus, eam aliis remediis viam ſternere, impedimenta amovere, & ideo præcipue eſſe neceſſariam; ſtatuendum ſolummodo ſupereſt,

num

num in quibuſvis febribus omnino requiratur? an in multis prætermitti poſſit, aut potius prætermittenda ſit? quinam denique ei ſint præfigendi limites?

Equidem in quocunque febrili motu, abſonum ſane eſſet ad venæ ſectionem confugere; ſunt febres, in quibus ab ea abſtinere licet & oportet; tales ſunt eæ, quæ leviores ſunt, aut quæ viribus exhauſtis vel certis exantlatis morbis ſuperveniunt; eo minus tali indigent remedio, quod multæ, eæque aliquando graviores abſque ſanguinis miſſione curatæ fuerint; non tamen his quibuſcunque exemplis nos a rationis & experientiæ præceptis dimoveri licet; tutius eſt non neceſſariam tentare venæ ſectionem, quam ab ea præter rationem temperare.

Noxium imprimis eſſet venæ ſectionem prætermittere, ſi turgeat ſanguis, ſi intenſior ſit febrilis motus, ſi calore urenti aut acutiſſimo capitis dolore vexentur ægri; metuendum ſane eſſet, ne gravior fieret morbus, & variarum partium læderentur functiones; non alii profecto cauſæ tribuenda ſæpiſſime febrium pertinacia, quam huic neglecto remedio; inde non raro febrifugorum irrita, imo & noxia vis, his adverſari ſanguinis copiam, tum circuitus impetum, & inde exortum calorem, certiſſima conſtat experientia.

Quouſque autem urgenda ſit ſanguinis miſſio, nequaquam definire licet; pendet id ex corporum natura & ex ſymptomatum vi; cum ea nimirum varia eſſe poſſit, modo plus, modo minus, aliquando vero multum ſanguinis detrahendum; at

imprimis quo propius ad continuarum indolem accedunt febres, eo ſæpius ad ejuſmodi remedium eſt confugiendum; hoc vero experientia & ratione confirmatum præceptum quibuſdam exemplis illuſtrabitur.

In conſtitutione, quæ hic loci vigebat, febres erant duplices tertianæ, imo multæ continuarum induebant ſpeciem; atqui in iis ægri nullum percipiebant levamen, niſi poſt tres aut quatuor venæ ſectiones; in multis ita durus erat pulſus, & ita acutus capitis dolor, ut quinquies vel ſexies venæ ſectionem repetere cogerentur Medici; ſi ei parcerent, ingens urenſque urgebat calor, atroces erant capitis dolores, in vere continuas abire ſolebant febres; at poſtquam ſatis laxata fuerat miſſo ſanguine corporis compages, remittebant brevi omnia ſymptomata, induciaſque concedebant ad alia exhibenda remedia.

In tertiana febri eaque notha & vehementiori, idem ſe mihi ſæpius obtulit; cum parcius adhibita eſſet venæ ſectio, graviora eſſe ſolebant ſymptomata; incaſſum in aliis quibuſcunque remediis quærebatur levamen; cum vero febris pertinacia coacti Medici ad ſanguinis miſſionem, cui nimium pepercerant, redirent, ſtatim omnia leviora fiebant, calor ſcilicet miteſcebat, remiſſior erat paroxyſmorum vehementia; quæ vero fruſtra adhibita fuerant alia remedia, ſuccedere ſolebant.

Mihi quidem, quoties initio pertinax occurrit febris quæcunque intermittens, vel intenditur ejus vis, ad venæ ſectionem, licet antea celebrata ſit, confugere ſemper mos eſt; nec me uſquam eam

ten-

tentaſſe pœnituit ; imo ex ea fructum certum pleroſque percepiſſe ægros obſervavi ; ſi quando, quod quidem inſolens eſt, non ita prodeſſe contigerit, id regiminis aut aliorum remediorum vitio eveniſſe pro certo habui.

Interea in ſimplici febre intermittenti, imo in duplici tertiana non continua, una aut altera ſufficiet venæ ſectio ; nec ultra imprimis progrediendum erit, ſi perfecta, aut quanta eſſe poteſt, fuerit inter paroxyſmos apurexia, aut ſi talia ſint febrilis motus incommoda, ut ferri poſſe videantur, abſque eo quod graviora patiantur partium functiones.

Hæc cum ita ſint, mirum ſane, viros non incelebres venæ ſectionem in febre intermittenti, ut noxiam, ablegaſſe; inſaniunt quidem, qui ea ſola & repetita morbum hunc curari poſſe contendunt ; fatendum tamen quod ſi miſſo copioſius ſanguine ſtrictior obſervetur diæta, frænari poſſint ſæpiſſime febriles inſultus; fuit aliquando ubi eo exundante, ſive hæmorrhagiis ſpontaneis, ſive inflicto vulnere, nullum febris remanſerit veſtigium ; idem ergo venæ ſectione, cum cautione tamen adhibita, fieri poterit, ſi imprimis accurata ſimul victus inſtituatur ratio.

Nec profecto cum ratione, nec cum experientia conſentit hæc *aimaphoborum* ſententia ; præmiſſa venæ ſectione magis expeditæ patent ſecretionum & excretionum viæ ; cum minori ſimul diſcrimine opus ſuum moliuntur emetica ; tutius & facilius movetur alvus purgantibus, copioſius effluunt urinæ, minus denique obſtructionibus loci eſt.

Præterea in febrili impetu turget hepar sanguine; in mesenterio stagnat fluidum hoc; eodem in molem attollitur sæpissime lien; dolet denique caput ob circuitus vim; atqui cum his omnibus occurrat venæ sectio, ut noxia haberi non debet; qua igitur ratione inductus *Sydenhamus* asse ere potuit, *quod nisi Chirurgi gladiolus eodem ictu, quo venam pertundit, febrim ipsam etiam confodiat, ea nonnisi longo temporis tractu expugnari se patiatur*.

Hoc quidem ex causæ natura, utpote ignota, deduci nequit; reliquum est ergo, ut observationibus solis dignoscantur ita noxii venæ sectionis effectus; atqui ex millenis observationibus constat eam fuisse admodum proficuam; si quando nocuisse visa est, non fuit observata accurata medendi ratio; Medici ergo, aut ægri culpa accidit quod sanguinis missioni tam audacter exprobratur.

Quod spectat debilitatem, quam multi, si mittatur sanguis, impendere existimant, nonne præjudicata opinione nititur ejusmodi metus? securos omnino nos esse licet, si innumeris credamus experimentis, de quibus modo egimus: non propter debilem partium textum reluctatur febris, sed propter ipsius vim nimiam, aut propter ejus venenum altius infixum & acrius stimulans; non potest autem temperari nimia hæc vis, aut tolli irritatio, nisi debilitentur motus organa; fatendum profecto, uti apud nos nimium quandoque incusantur eorum vires, ita apud alias gentes ipsorum debilitati nimium tribuitur; nullum

est

eſt pleriſque in acutis morbis venæ ſectione magis innocuum remedium; probatur id vel effrænata eorum audacia, qui intra breve tempus quindecies aut amplius, & ad uncias decem vel duodecim, ſanguinem mittunt; multos vidi, qui poſt ita enormem vitalis liquidi jacturam optime citoque reſtituti ſunt.

At in iis febribus, quæ per certum tempus evaneſcentes, iterum reſurgunt, quis venæ ſectioni erit modus? an quoties ſe exerunt, ad eam recurrendum? abſonum ſane eſſet ſanguinem mittere, ſi ſæpius miſſus fuerit, ſi poſtquam per aliquot dies evanuerit febris iterum revertatur, ſi pluries ægros dimiſerit & corripuerit, ſi ejus diuturnitas cachexiam adduxerit, ſi jam ab æſtate vel autumno per mediam hiemem excurrerit; denique, ut paucis verbis omnia hæc comprehendantur, ferant vires oportet venæ ſectionem, nec niſi ſymptomatum vi ad eam adigi debemus.

Cauſæ non medetur, ut diximus, venæ ſectio; motum tantummodo frænare poteſt; quid autem proderit frænum, cum languet vitalis vis? non poteſt quis, niſi inſanus, febres ſanguinem profundendo proſequi; eo prætermodum detracto ſublatus fertur Hiſpaniarum Princeps, idemque aliis contigiſſe certo ſcio; hæc tamen in genere non ita dicta eſſe velim, ut venæ ſectionem a quibuſvis febribus inveteratis ablegandam eſſe cenſeam; ſi pulſus eam poſtulet aut permittat, & nimia ſit febris incandeſcentia, ab ejuſmodi remedio abſtinere non licet.

CAPUT VI.

De Evacuatione primarum viarum.

UT ante venæ ſectionem, ita poſt ipſam diluendum corpus, quo rite expurgari poſſit; non enim ſuccedent evacuantia medicamenta, ni potus aquoſi copia laxatæ fuerint partes; requiritur imprimis prævia hæc laxitas in corporibus exercitatis, plethoricis, bilioſis, ſicco temperamento donatis; inducetur ea facilius, ſi clyſmata ſimul injiciantur, iiſque evocentur inteſtinorum fæces.

His peractis, de evacuatione primarum viarum, & totius tubi inteſtinalis cogitandum eſt; non equidem in iis reſidet febris fomes; ſed ad eam exaſperandam multum poſſunt pravi ſucci, putridi, vel bilioſi; iis inficitur ſanguis, inducitur acrimonia, excitatur calor & irritatio; exoritur ſaltem impedimentum, quod remediorum antifebrilium viribus officit; conſtat id certiſſimæ experientiæ teſtimonio, quandoquidem collecta in ſtomacho aut in inteſtinis cacochylia, difficilius inſtituitur febrium intermittentium curatio; quæ facile poſt evacuationem tollerentur, ea omiſſa aut neglecta altiores agunt radices.

Huc accedit, quod evacuantibus præmiſſis facilius reſtituantur partium functiones, aut eæ ſerventur intactæ; facilius v. g. ſecernitur bilis, co-

pio-

pioſius fluunt urinæ, cutis ſpiracula magis patent; imo iis poſſunt cieri evacuationes remediis, quæ ad promovendas ſecretiones apta ſunt; id eo facilius in febre intermittenti quod nonniſi diebus intercalaribus, id eſt eo tempore, quo quieſcit morbus, inſtituatur curatio.

Sed unde incipiendum, an ab emeticis, an vero a purgantibus? videbitur fortaſſe ab emeticis temperari poſſe, quia vomitu repetito excruciantur ægri paroxyſmorum initio; huc accedit, quod quæcunque hærent in ſtomachi latebris naturæ ipſius conatu aut beneficio expelli poſſe videantur; ſed nos docuit experientia inanem eſſe ejuſmodi conatum; febris enim nihilominus valide urget, & ſtatis reſurgit temporibus; ideo autem non prodeſt, imo nocet vomitus febrilis, quia in febris invaſione omnia conſtricta ſunt, unde non poteſt rite expurgari ventriculus; inſtat ſolummodo irritatio, qua ſæpe incaſſum torqueri ſolet & ſubverti ejus motus.

Poſtulat igitur emeſim arte concitatam morbi curatio; demonſtratum eſt enim hepar imprimis laborare; colligitur in eo bilioſum magma; ſanguis in venæ portæ ductibus ſtagnat; & niſi huic ſtagnationi occurratur, erit ea cum bilioſis ſuccis veluti alius morbi fomes, qui facile incandeſcet; non certius autem huic ſtagnationi & bilis congeſtioni occurrere poſſumus, quam emetico medicamento; cum enim eo concitatur vomitus, hepar veluti in prælo eſt, & repetitis premitur ſuccuſſionibus; pellitur ergo ſanguis ex ejus vaſculis, bilis in porum hepaticum & inteſtina a-

digitur, dein vero cum aliis ſuccis in ſtomacho hærentibus per os rejicitur.

Hæc quidem ſuccuſſio ſolius febris ratione tentari poteſt; ſed eam prætermittere piaculum eſſet, ſi victus ægrorum lautior fuerit, ſi ingluviei aut crapulæ indulſerint, ſi ſordibus ſcateant primæ viæ, ſi hypochondria intumeſcant, ſi vexet nauſea, ſi adſit oris amaror, ſi lingua ſpurcitie obducatur ſaburroſa, ſi flatibus turgeat alvus aut ventriculus, ſi denique, quod nonnunquam occurrit, inſurgant e putrida colluvie vertigo tenebricoſa, aliique capitis affectus.

Videtur imprimis neceſſaria emetici vis in certis febribus, aut earum certis conſtitutionibus epidemicis; ægri enim maximam bilis viridis, craſſioris, & olei ſpiſſiſſimi tenaciſque inſtar, emittunt copiam; quod vero ſane mirum aut ſaltem magni momenti eſt, tantus occurrit hujus magmatis fomes aut proventus, ut una vice vomere multis ſatis non ſit; poſt parvum enim temporis ſpatium, ea prodit bilis copia, ut iterum concitato vomitu nil de ea detractum videatur; quoties autem illius proſtat ea redundantia, toties in limine adeſt febris; unde ali morbum eo recremento, alioquin ita neceſſario, variis probari poteſt argumentis.

Nec dubium profecto eſt, quin & in aliis partibus oriantur ſtagnationes; id ex frigoris febrilis vi, tum etiam ex inæquali & aucto dein circuitu ſequitur; idem probant obſtructiones, toties intermittenti febri ſuccedentes; atqui ad promovendum liquidorum curſum, multum confert

eme-

emetici medicamenti vis & actio; ejus ſcilicet ſtimulo ſollicitantur nervi; iis autem vellicatis, & in motum actis, omnes vaſorum fibrillæ per univerſum corpus motibus exagitantur reciprocis; urgentur ergo liquida, quæ in extremis vaſis moram trahebant, aut quæ ad concretionem propendebant.

In memoriam præterea revocandum, valida corporis commotione depelli aliquando febris fomitem; atqui concitato vomitu commovetur imprimis univerſum nervorum ſyſtema; induci ergo poteſt ea ſubitaque mutatio, quæ toties profuit; huc accedit, quod multa ſint, quæ emetico educi poſſint, & quæ aliis non obſequantur remediis: virum vidi nobiliſſimum, qui poſt diuturnam febrem olidum denſumque magma vomendo ejecit, & paucos poſt dies reſtitui cœpit.

Confirmantur ea omnia aliis experimentis, iisque innumeris, & primo quidem ita efficax eſt emeticum medicamentum in febribus intermittentibus, ut eo ſæpe veluti uno ictu tollantur febres; ſi vero ſuperſtites ſint, imminuitur earum vis; quod autem ſummi eſt momenti, aliis remediis tunc conceditur locus; remediis inquam, quæ incaſſum omnino adhiberentur, niſi præmiſſus eſſet vomitus, eoque univerſa corporis compages commota eſſet; in eo igitur imprimis poſita eſt emetici vis, ut febrifugis tutam certamque paret viam.

Hoc ita certum eſt, ut prætermiſſo emetico, rebelles omnino fiant febres & diuturnæ; tunc vero, quod iterum validiſſimum eſt argumentum, non aliis remediis, quam emeſim moventibus eas

aggredi licet; innumera me docuerunt experimenta non niſi exantlato vomitu, reſtitutionis ſpem aliquam eluceſcere; ita vero efficax mihi viſum hoc remedium, ut in conſtitutionibus graviſſimis eo præcaveri poſſe impendentes febres crediderim; nec quidem me fefellit opinio hæc; multos in eas inclinantes concitato, vel etiam repetito vomitu ab iis immunes ſervavi.

Quæcunque fuerit ægrorum ætas æque proficuam obſervavi emeſim; nec quidem in pueris ipſis formidandus tartari ſtibiati uſus; docuit me experientia leniorem eſſe ejus energiam in teneriori, quam in magis provecta ætate; ſæpiſſime tamen, ne terrorem incuteret hujus remedii uſus, kermes minerale adhibui, idque feliciter. Cum trium annorum puella febre tertiana & certis temporibus quartana laboraret, me identidem remedium hoc exhibuiſſe memini; quoties autem vomitus fuit concitatus, toties per octo vel duodecim dies inducias obtinui; ita miſeram hanc ægram febre excruciatam, & letho ferme proximam, ab autumno per hiemem ad æſtatem uſque deduxi; tunc autem naturæ viribus tempeſtatiſque beneficio reſtituta eſt.

Sed emeſis concitetur oportet hoc medicamento, aliiſve ſimilibus, quibus uti libuerit; nam ſi in vias infernas, ut aliquando contigit, convertatur eorum vis, non æque ſcopum attingent; id obſervavi in multis ægris, ſed imprimis in quadam conſtitutione, in qua per alvum ferri ſolebant medicamenta; nam ex evacuatione inteſtinali, quantumvis copioſa, non idem percipiebatur fructus,

qui

qui ex vomitu prodire ſolebat ; tali autem in caſu ipecacuanham tartaro emetico anteferre mihi viſum fuit ; eo certius ſubvertitur ventriculus & in ipſo contenta expelluntur .

Si aliorum authoritate hæc confirmare neceſſe eſſet , peti poſſent argumenta ex variis Medicorum Scriptis ; neceſſarius eſt vomitus , inquit *Celſus* , omnibus, qui ante febres horrore & tremore vexantur ; *Galenus ad Glauconem* plurimos ſolo vomitu perfecte curatos ſcribit ; *Paulus* & *Aetius* ſimiliter emeſim laudant , & ei multum tribuerunt nonnulli poſterioris ævi Scriptores ; inter eos *Riverius* eam magnis laudibus extollit ; juxta ipſum magis certam præſtitit operam emeticorum vis quam quilibet aliorum medicamentorum uſus ; profuit , inquit , imprimis vomitus , ſi per tres dies quolibet mane cieri poſſet , at hoc non niſi in firmo viſcerum robore , & cum ſumma cautela tentare licet .

Sunt qui eadem inſiſtentes via ad aſarum, ut ad ſacram anchoram , in diuturnis febribus confugerint ; nonnulli ſale vitrioli eas fugarunt , ut apud *Jacotium* legere eſt ; quidam aquam benedictam Rulandi cum ſucceſſu non pœnitendo uſurparunt ; alii denique validiora medicamenta , ut Mercurium vitæ & præcipitatum rubrum non reformidarunt .

Sed ita comparatum eſt humanum ingenium , ut nil ferme ratum fixumque haberi poſſit ; opinionum incerto veluti fluctu actum , hac & illac in nova fertur commenta ; inde repetendum hoc vitium , quod Veterum veſtigiis non inſiſtant Medici ,

dici, & quod obſervationibus ex animali œconomia ductis eorum non nitantur tentamina.

Non impegiſſent in ejuſmodi ſcopulos Medici, ſi ratione in remediorum uſu ducti eſſent; neceſſe eſt ut concitetur vomitus, imo pluries aliquando tentandus; at a validioribus abſtinendum emeticis; ex iis ſemper grave impendet diſcrimen, imo tertiana febris ex iis in prophylaxim aſſumptis exorta memoratur; at ſi leniora adhibeantur, nil uſquam ex iis metuendum, nec, uti voluit *Sydenhamus*, opio quas ciere ſolent turbas compeſcere neceſſe eſt; ſedantur ſponte omnia poſt emeſim, unde narcotica inutilia ſunt; ſit præterea *canon* experientia comprobatus; bilis ſecretioni, quæ in febrium intermittentium cura promoveri debet, adverſa eſſe ejuſmodi remedia; inde fortaſſe fit quod Turcæ iis abutentes in hydropem ſoleant incidere.

CAPUT VII.

De purgantium uſu.

NON tamen hæc omnia ita dicta velim, ut ſine emeticis nullam poſſe curari febrem credatur; abſque iis tolluntur multæ vel deſinunt; ſunt quæ leviores ſint, quam ut tanto indigeant molimine; occurrunt præterea impedimenta, quæ huic remedio adverſantur; ventriculus ſcilicet in multis ejus ferre nequit irritantem vim; nocet ea

im-

imprimis pulmoni affecto; nocet & cachecticis, qui aliarum partium certis laborant vitiis; abſonum denique eſſet, ægros toties emeticis vexare, quoties reſurgit febris, cum in diuturnitatem abiit.

Cum vero incipiente morbo hoc invocare auxilium non licet, purgantia omittenda non ſunt; imo ſi emeſi ventriculus ſolummodo expurgatus fuerit, aut pauca, ut ſæpe fit, dejecerit alvus, ſollicitetur ea neceſſe eſt; ideo ſolent nonnulli cathartico-emetica in uſum vocare; ſatius tamen mihi videretur primo lene aliquod purgans ingerere, poſtea vero, cum incœpit demitti alvus, emeticum exhibere; ita enim obtinetur uterque deſideratus effectus; expurgatio autem, quæ per vias infernas inſtituitur, tam neceſſaria eſt, ut ea non præmiſſa incaſſum ſæpiſſime tententur alia remedia; poteſt hic *canon* multis probari argumentis.

Statui primo poteſt in genere plethoram quamcumque in febribus eſſe noxiam; neceſſe eſt ergo, ut quamprimum fieri poterit e tubo expellantur inteſtinali, qui in ipſo hærent, pravi putridique ſucci; eo pluris facienda eſt hæc expurgatio, quod laxata alvo circumpoſitæ laxentur partes, ſanguis per vaſa facilius circumeat, ſecretionum & excretionum aperiantur viæ; bilis ergo, quæ tantopere ſpectanda in febre intermittenti, per colatoria ſua facilius elabitur; urinæ ſimiliter, quarum proventus tanti eſt momenti, per renes copioſius amandantur.

Alia etiam, nec minus proficua, donantur vi, nonnulla quæ alvum expurgant; non ſolum in

in-

inteſtina vim ſuam exerunt, ſed vere aperientia ſunt; hepar v. g. ſtimulant, & bilem ex eo educunt; ideo cum in hujus viſceris textu hæret obſtructio, præſcribi ſolent laxantia, ut lapathi radix, tartarus vitriolatus, arcanum duplicatum; quin imo ut purganti quodam acriori acuatur eorum vis aliquando requiritur; hoc autem certis demonſtratum eſt experimentis.

Ut propius autem ad febres intermittentes accedamus, certum eſt eas quibuſdam purgantibus, non mitioribus quidem aut lubricantibus, ſed iis, quæ acrius ſtimulant, fuiſſe devictas; ſcammonium v. g. gratiola, pulvis Cornachini, pilulæ Quercetani de ſagapeno, tartareæ Bontii, multis etiam quartanariis auxilio fuerunt; calomelas Riverii cum jalappa, tum ejuſdem authoris ſennæ infuſum cum ſale tartari, idem præſtitit; ego vero pulverem novi inconditum, qui innumeros reſtituit ruſticos; componitur is ex ſcammonio, turbith, jalappa, ſenna, cremore tartari, cum rheo, cinnamomo, & zinzibere.

At quæcunque ſint eorum remediorum vires, ea præſtat ut plurimum utpote acriora non experiri; noxia ſint omnino oportet iis, qui teneriori partium donantur textu; antequam innoteſceret cortex Peruvianus purgantibus ejuſmodi confidebat Medicorum vulgus; at ſapientiores unanimi conſenſu validiora, & ſæpius imprimis repetita damnarunt, his contumaces evaſiſſe febres & in hecticas abiiſſe teſtantur; nonnulli equidem, iique celebres, draſticis uſi ſunt, ſed correctis, levique manu exhibitis; nil eſt quod certo præ-

pa-

paratum modo non mitius fiat; doſis præterea adeo levis eſſe poteſt, ut ea infauſti præcaveantur effectus.

Imo in certis caſibus aliquid, quod potenter naturam urgeat, in uſum vocari poteſt; ita inſolito motu peculiarem ſolidis partibus & liquidis induci poſſe mutationem certum eſt; hunc in ſcopum haud dubie *Riverius*, alias ſingularis prudentiæ vir, nonnulla feliciter adhibuit, quæ multis formidinem incuterent; ſed ipſe, aliique ejuſmodi multum abfuerunt ab inſana methodo, aut potius *amethodo*, qua continuis validiſque evacuantibus exhauriuntur corpora ad impugnandam febrim; ſi qui etiam non incelebres aliter ſenſerint, eorum, licet aliquando felix, audacia in exemplum adduci non debet.

Eo potiori jure ableganda ſunt purgantia validiora, quod ſufficiant quæ leniora ſunt ad febrium intermittentium curationem; non interea una tantum vice, ſed ſæpius ad ea recurrendum in variis ejuſmodi febribus, ut earum curationi certa ſternatur via; id omnino neceſſarium v. g. cum turget bilis, cum putrida collecta eſt in inteſtinis cacochylia, cum denique intenſior eſt febrilis motus.

Non minus neceſſaria eſt alvi expurgatio aut laxitas in curationis decurſu; certum eſt enim quod ſi leniter, & quaſi ſponte ſuccedat evacuatio, & ſi bilioſa imprimis educantur, facilius tollatur morbi fomes; confirmatur id multis, quæ in variis obſervantur ægris; ſunt v. g. quibus diu & abſque ullo fructu exhibita ſunt febrifu-

ga;

ga; iis autem non ſuccedentibus & fortaſſe non innoxiis, ſi addantur laxantia, ſæpe evaneſcunt febres: denique poſtquam eæ deſiiſſe viſæ ſunt, ſi adſtrictior fiat alvus, ut plurimum in limine proſtare ſolent, nec alio averti poſſunt auxilio, quam leniori adhibito purgante cum febrifugis conjuncto.

Adverſatur id quidem receptæ apud multos opinioni; iis nimirum perſuaſum eſt piaculum eſſe alvum movere in curanda febre; quin imò eam, cum deſiit, ſtatim reſurgere aſſerunt, ſi exhibeatur purgans aliquod medicamentum; experientia in hujus rei teſtimonium a quibuſvis ferme adducitur; ſed quod ipſos in eam deduxit opinionem, non eo nititur fundamento, quod gravioribus rationum momentis nulla ex parte disjici queat.

Certum eſt, quod ſiquando purgantia in febrium curatione eis vires addere viſa ſint, id errato cuidam tribui poſſit; aut non præmiſſa ſunt, quæ præmitti neceſſe erat, aut ipſa bilis expurgatio neglecta eſt; cum vero turgere incœpit, evacuantia forte calidiora, irritantia, aut imperfecte evacuantia adhibita ſunt; fieri etiam potuit, ut cum iis febrifuga non conjungerentur, aut morbo impar eſſet eorum doſis; non mirum ergo ſi febris increbreſcere viſa ſit; ſed Medici, non vero purgantium, culpa incuſanda eſt.

Quod vero ſpectat eas febres, quæ jam deſierunt, & quæ curatæ videntur, poteſt, ut diximus, diu latere febrile venenum; poteſt & idem colligi tacite, & quaſi vires recipere: tunc autem

ſi

ſi intempeſtivo aliquo medicamento exagitetur corpus, non mirum ſi febris, quæ ſiluerat, aut quaſi in limine præſto erat, inexſpectato erumpere poſſit: non ſe exeruiſſet profecto venenum febrile, ſi rite eſſet impugnatum, imo ſi purgantia cum cautione adhibita eſſent, veneni illius fomitem penitus expuliſſent; potuiſſent, ergo deinde abſque ullo recidivæ metu in uſum vocari.

Nec quidem ab his præceptis nos dimoveri oportet, licet aliter ſenſerint viri clariſſimi; mirum equidem ſapientiſſimum *Sydenhamum* opinionem foviſſe purgantibus adeo adverſam; vel leviſſima, inquit, catharſis, imo enema e lacte ſaccharato in morbi diſcrimen; quin etiam in morbum ipſum denuo ægrum conjicient; at experientia, cum ea opinione non conſentiens, a tanti viri ſententia me diſcedere coegit; ei impugnandæ eo magis incumbere operæ pretium duxi, quod apud Medicorum vulgus invaluiſſe videatur.

Eo minus profecto huic ſententiæ tribuendum eſt, quod certum ſit ipſum *Sydenhamum*, licet a catharſi ita abhorrentem, alias tamen, penitus depulſis febribus autumnalibus, eam enixe commendaſſe, tanti huic momenti videbatur alvi expurgatio, ut ex ea omiſſa periculoſum quemdam impendere morbum prænunciare non dubitarit; id ſibi curæ tantummodo ineſſe profitebatur, ne ante certum tempus exhiberentur purgantia; non niſi ſcilicet poſt elapſum menſem hæc tentanda eſſe exiſtimabat, eaque ſemel qualibet die octava.

His

His tamen, quæ per duos treſve menſes præcipit, potuiſſet omnino parcere, ſi inter curandum laxata fuiſſet alvus; non fuit ferme uſquam mihi neceſſe, poſt febres jam devictas, purgationi incumbere; non obſervavi quod celeberrimus monet vir, ea tunc temporis neglecta urinam rubore ſuffundi, flavedine infici oculos, ſordibus ſcatere linguam, appetitum dejici; hæc non ſolent occurrere, niſi cum adhuc vigent febris ſemina aut obſtructiones inde exortæ; poſſunt profecto ea præcaveri, ſi alvi laxitate inducta aperiantur ſecretionum & excretionum fontes.

Sed veluti quodam contagio menti inſtillatur error, & vires eundo acquirit; ita *Sydenhami* prima effata a purgantibus, poſt abactam febrim adhibendis, Medicos amoverunt, ut eam vel celeberrimi viri quasi in limine sibi fingant, si tentetur quælibet alvi expurgatio; imo id sibi experientia ratum fixumque eſſe aſſerunt; aliud tamen, ut jam diximus, ſuasit ea ipsi *Sydenhamo*, multiſque ipſum inſtar oraculi habentibus; experientia ergo in quorundam ore nil aliud ſæpe eſt quam opinionis alio ſub nomine a vero aberrantis judicium.

CAPUT VIII.

De aperientium uſu.

LIcet tamen tanti sint momenti purgantia, non inde ſequitur, nullam eſſe febrim, quæ abſque iis curari nequeat; at quid ut plurimum eveniat ſemper ſpectandum, nec quibuſdam exemplis ab iis, quæ frequentius occurrunt, averti licet; atqui, ut diximus, in univerſum neceſſe eſt ad purgantia confugere in febrium intermittentium curatione.

Sunt caſus interea, in quibus minus quam in aliis prætermitti poſſit alvi expurgatio, ſi febres v. g. in diuturnitatem abierint, ſi alvus ſit tumida, aut nimium adſtricta, ſi bilis per cutim ſparſa, ſi urinæ ſint craſſiores aut rubræ, ſi adsit cachexia ex obſtructionibus orta; si, inquam, hæc ita ſe habeant, febrifuga ſpecifica dicta nullius ſunt momenti; curationem iis aſſequi non licet, nisi prius pravorum ſuccorum effluxu ſublata fuerint impedimenta.

Ut tamen tollantur ii ſucci, non ſola ſufficit alvi expurgatio; reſeranda ſunt variarum partium clauſtra, aperiendæ nimirum ſecretionum & excretionum viæ, reſtituendus motus ſtagnantibus liquidis, iis fluiditas concilianda, bilis denique in ſuos ductus, & in inteſtinorum cava revocanda; reccurrendum eſt igitur ad diluentia, aperi-

entia, refrigerantia, ſaponacea, iiſque, ut alvum leniter laxent, addendum aliquod purgans.

Mirum profecto quantum poſſint ſucci herbarum depurati in obſtructa adhominis viſcera; patet id ex viribus herbarum virentium in animalium corpora; purgantur & macilenta fiunt verno tempore, in circuitum aguntur eorum humores, & per alvum mutati ſecernuntur; eadem autem præſtare poteſt Medicus, ſi aperientibus & deobſtruentibus addatur purgans ſtimulus, levis tamen, & qui tantummodo alvum movere queat.

Maxime autem proficua obſervavi juſcula purgantia ad reſerandas hepatis vias; ea, ut plurimum, ex lapatho silveſtri, cichorio, ſcolopendrio, aliiſque id genus, confici curavi; at ſemper addidi ſal quoddam alvum movens, ut ſal Glauberi, arcanum duplicatum, vel cryſtalli mineralis certam dosim; nihil erit in eorum juſculorum uſu, quod desiderari poſſit, nisi inſuperabilia adsint impedimenta; ſed nunqam ſcopum attingent talia juſcula, nisi alvum bis terve qualibet die moveant.

Non ſolum neceſſaria ſunt laxantia hæc & aperientia in iis, quæ in diuturnitatem abierunt, & quæ obſtructionibus foventur, febribus; aliæ ſunt, quæ incipiunt, aut non diu excurrerunt, in quibus in uſum vocanda ſunt eadem remedia; occurrunt ſcilicet nonnullæ, quæ magna vi urgent, æſtu ſummo in iis torrentur viſcera, hepar imprimis impetitur; bilis intenſe flava eſt aut viridis; omnino fœtida eſt alvi dejectio; urinæ rubræ

bræ ſunt aut lateritiæ, hæc autem omnia obſiſtunt febrifugis, & nisi ad ea, quæ leniter ſecretionum excretionumque vias aperiunt, deflectatur curatio, vix frænari poterit febrile venenum.

Mihi autem in uſu non infelici fuit ejuſmodi ægros per hebdomadam, imo & diutius, aperientibus, laxantibuſque addicere; aliis ſuccos cichorii, borraginis, & bugloſſi cum ſale Glauberi aut cryſtallo minerali præſcripſi; aliis vero juſcula ex iiſdem herbis, aliiſve, cum tartaro vitriolato; fuerunt denique nonnulli, in quibus ſeri lactis vires ſumme proficuas expertus ſum; eſt in eo herbarum ſuccus, in animali officina paratus, & veluti decoctus; eſt & in eodem ſalium vegetabilium vis, quæ aliquando alvum valde expurgat.

Nuſquam ferme ſpem fefellit hæc methodus; ita certa mihi viſa eſt, ut quoties mihi in pertinacem febrim incidere contigit, toties ad ejuſmodi remedia, aut ipſis ſimilia devenerim; quin imo tanti hæc facienda mihi videntur, ut ſæpe, ſi per ægros moræ impatientes liceret, non dubitarem poſt generalia remedia in aperientium uſu per aliquod tempus immorari; ita facilior febrifugis pararetur ingreſſus & effectus; imo & mihi dubium non eſt, quin ſæpiſſime inutile foret ea in auxilium vocare.

Aliud eſt remedium, cui non minus confiderem, ſi non ita repugnarent ægri; expurgata nimirum alvo, eos aqueæ diætæ per tres quatuorve dies addicerem; at per id tempus ab omni alio potu ciboque his interdictum vellem; aqua ſola tunc affatim ad

libras ſex vel octo aut amplius qualibet die hauſta omnem ferme tolleret febrem; calidam quidem anteferendam puto, frigida tamen per æſtatem idem præſtitit; raro fallit methodus hæc; ea febres contumaces quibuſvis aliis remediis fruſtra impugnatas ſuſtuli; ſiquando ex iis aliquid remanſerit, levi opera aut ſolius naturæ auxilio deleri poteſt.

Quid præſtare poſſit euporiſton illud remedium, patebit ex duabus obſervationibus, quas hic referre operæ pretium duxi; erat puella decennis diuturniori laborans febre, quæ vere maraſmodes intermittens dici poterat; cum remedia viderentur huic vires addere, & omnia in pejus ruerent, aquam experiri viſum eſt; ea autem affatim aſſumpta per tres dies continuos, omnique ſemoto alimento, evanuit omnino morbus, ex quo tantum impendebat diſcrimen.

Non minus intentabat periculi in quadragenario febris admodum contumax; hæc a veris initio ad mediam æſtatem progreſſa gravius in dies urgebat; cortice Peruviano exaſperari nec quidquam opis aliunde expeti poſſe videbatur; cum autem jam pene confectus jaceret æger, aquæ vires tentare non dubitavi; nec profecto hujus me pœnituit tentaminis; nam intra breve tempus ſublati ſunt paroxyſmi, & licet accedente autumno, eorum nullum prodiit deinde veſtigium.

CAP.

CAPUT IX.

Quonam tempore exhibenda ſint modo dicta remedia.

RElíquum eſt ut expendamus, quonam tempore uſurpari debeant remedia hæc? & primo quidem tum in paroxyſmo, tum in intermiſſione mitti poteſt ſanguis; in paroxyſmo quidem ad febris, ſymptomatumque ipſius urgentem vim infringendam; in intermiſſione vero ad prophylaxim, ut ſcilicet proximi inſultus leviores ſint, & ut via aliis ſternatur remediis.

Hæc quidem vix præceptis indigent; ſed eo proceſſit certorum hominum audacia, ut in frigore febrili venam ſecare auſi fuerint, quod ſane abſonum & periculoſum; cum enim deprimitur pulſus aut ferme deliteſcit, cum vix circuit ſanguis, cum ſpiritus vitalis obrui videtur, quid ex ſanguinis miſſione ſperandum? an ſine periculo in ſenioribus tentari poterit, cum aliquando in rigoris horroriſque vi animam agere videantur?

Non tamen negari poteſt, quin nonnullis, imo & plurimis, profuiſſe viſa ſit methodus hæc a ratione ita aliena; ſed in febrium intermittentium curatione quid memorari poteſt quod aliquando non ſucceſſerit, & quod quidam ut certum auxilium non venditarint? repugnante tamen ra-

ratione & plerorumque experientia, insanum esset aliquod tentare remedium; præterea non sola venæ sectio in febrili frigore tentata opem tulisse ut plurimum dici potest; alia enim simul in auxilium vocari solent, ut emetica, purgantia vel febrifuga.

Atqui non magis opportunum est frigoris tempus ad alia ejusmodi evacuantia remedia; ea imprimis, quæ certa vi agunt, non innoxia sunt; non potest ergo tunc tentari emesis, licet vomitu spontaneo & nausea videatur indicari; non perinde hic se res habet ac in eo vomitu, qui humorum concitatur affluxu, vel acrimonia; nam irritatione nervis inducta, hepatisque affectu subvertitur in frigore febrili ventriculus; contrahitur hic ut cæteræ partes; non obsequitur ergo remediis ut in apurexia; anxietates tantum & dolores acerrimos inferre possunt emetica & purgantia, nec quidquam ex viscerum colatoriis nimium constrictis possunt educere.

Fatendum tamen aliquando successisse emetica; vomitus, inquit *Riverius*, initio paroxysmi concitatus, hunc mitiorem brevioremque facit; fuit inter recentiores Medicus Anglus, qui per viginti annorum praxim emesim initio frigoris movit, si vetarent tremores nimii, calore incipiente idem solebat moliri; non absimile quid tentaverat olim *Asclepiades*; *Celsus* sapientior, tepidam solummodo aquam subsalsam, ut vomere cogeret, exhibebat; nihilominus ventriculi subversio quæcunque, nisi per aquam calidam solam, formidanda est.

Syden-

Sydenhamus, qui remediorum vim & effectus tanta obſervavit diligentia, vomitum quidem concitabat, ſed ita ut, inquit, negotio ſuo defungi poſſet emeticum ante paroxyſmi adventum; tantum abeſt ut incipiente febre tumultum in viſceribus proficere poſſe crederet, ut leviorem narcotici cujuſdam doſim, poſt exactum vomitum & immediate ante inſultum commendaverit; utrumque tamen & ſapienter quidem prætermitti poteſt.

Purgantia non minus temere adhibuerunt quidam in febrili frigore, aut etiam, quod non innoxium, incipiente calore; non intellexere, aut intelligere noluerunt conſtrictis frigore partibus, aut calore motuque exagitatis, non poſſe laxari alvum, & ſummas irritantibus pharmacis excitari turbas; ſapientius illi ſe geſſerunt, qui ante paroxyſmi adventum talia exhibuerunt medicamenta; ſed non quatuor horas ante ipſum, ut quidam voluerunt, tentetur oportet alvi expurgatio; ſex imo & octo horis antecedat oportet purgans medicamentum; ita profecto proficere quandoque poterit, ut variis conſtat exemplis: notarunt v. g. quidam ab exhibito pulvere cornachini, certo ante acceſſionem tempore, ſublatam eſſe febrim.

Ita abfuerunt olim a purgantibus in frigore febrili ſapientiores Medici, ut calida potius uſurparent; fuere qui piperis grana tria, aut ſex, imo duodecim exhibere non dubitarint; alii ad theriacam confugerunt, eaque ſublatam febrim memorant; hoc quidem quin aliquando ſucceſſerit negari non poteſt; ut plurimum tamen miteſcit ſolummodo frigoris vis; cum in epidemia, ex locis

cis paludoſis orta, intenſius ſæviret, non alio id poterat coerceri remedio; hoc igitur omnes ferme ægri, cum algere inciperent, in auxilium vocabant, inde profecto aliquod percipiebatur levamen, & nihilominus contumax febris eodem procedebat greſſu.

Nonnulli etiamnum calida & frigida ſimul præſcribunt in eundem ſcopum: Medicum novi, qui lilium Paracelſi cum cortice Peruviano exhiberet, nec fuiſſe aſſereret ubi ejuſmodi tentaminis pœnitere poſſet; ego vero cum in ægros incidiſſem, qui ejuſmodi remedia adhibuerant, ſi quando depulſas iis febres obſervavi, ſæpius eas exaſperari, urentem concitari calorem, partes principes affici, iiſque inuri labem, mihi videre licuit.

Non equidem ſtatim videntur hæc rationi æque adverſa, ac purgantium aut emeticorum in frigore febrili uſus; cum algent horrentque omnes partes, calida potius proficere poſſe veroſimile eſt, ſed non minus ableganda ſunt, ſi imprimis acriora ſint, febrilis motus iis, ut diximus, intendi tantummodo ſolet; ſi vacillet tamen vitalis ſpiritus, & ſumma urgeat frigoris vis, ad cardiaca devenire licet.

Si quædam exhibere per febrile frigus licitum eſſet, maxime ea, quæ nec acria nec calidiora ſunt; erat quidam, qui a quatuor aut quinque annis febre laborabat quartana; nocere potius quam levamen afferre videbantur quæcunque febrifuga; cum autem deſperata videretur ægri reſtitutio, ecce arcanum, quod a quodam Medicinæ prorſus ignaro obtruditur; algenti ſcilicet ægro

exhi-

exhibetur acetoſæ ſuccus ad uncias octo; atqui hoc remedio bis aſſumpto deleta ſunt contumacis febris omnia veſtigia; haud equidem in exemplum, quod ſequi certo poſſimus, hanc medendi rationem tradi velim; id tantum probare mens eſt quædam eſſe mitiora tentamina adverſus febrilem algorem, quæ purgantibus & calidioribus anteferenda ſunt.

Non ſolum expurgandum non eſt corpus, aut calidioribus urgendum medicamentis in febrili frigore; ſed e contra nil ferme moliendum; ſola aqua calida ingerenda, aut exhibendum in ea cardiacum aliquod temperatum; nec plus quidem movendum in calore inſequenti; quæcunque enim calida & evacuantia noxia erunt; acida aut aceſcentia potius febrili ardori ſunt accommodata; imo ſola aqua ſufficiet, & tunc imprimis, cum undequaque diffluere incipient ſudores; ita per os reſtituetur liquidum, quod per cutem exhalat, & craſſiores diluentur humores.

Quo tamen melius admiſceatur ſanguini aquoſus potus, ſyrupum quendam, ut ſyrupum violarum, imo ſyrupum corticum citri, aut vini Rhenani aliquid, ut reficiatur corpus, addendum cenſeo; non aliter profecto promovendi ſunt ſudores paroxyſmum excipientes; ſi enim cogantur & copioſius diffluant, noxii erunt, ingraveſcet febris, & in continuam abire poterit.

Videtur quidem primo aſpectu eos a naturæ ductu non ita eſſe alienos; ex iis enim inſigne quandoque percipitur levamen; miteſcit & diffatur tandem paroxyſmorum vis; at nihilominus

remanet mali fomes, nec certo liquet eum poſſe exhauriri copioſo per cutim effluxu; e contra autem dubitari nequit quin eo exundante exhaurian-tur corporis vires, quin ſtragulis congeſtis, vel potu calidiori aut acriori hauſto, major excitetur incandeſcentia; quin denique cum aqueis liquidis ſimul avolent nutritiæ partes, & adigatur ipſe in minora vaſcula; non ſuccedit in genere ſudoris effluvium, niſi cum natura ducente expelluntur noxii ſucci & ad ſecretionum amandantur vias.

Talis erat haud dubie naturæ conatus in febribus vernalibus, de quibus egit *Sydenhamus*; ſolvebantur eæ diaphoreſi in paroxyſmorum exitu diu promota; at in univerſum res ita non ſuccedit; ſapientiſſime ergo monet idem author, non poſſe fieri idem tentamen in febre autumnali vel epidemica; altius infixa eſt ejus cauſa, vel acrior, ideoque difficilius expugnatur; ſi ergo reluctante natura, aut eadem non obſecundante eliciuntur ſudores, in certum diſcrimen adducentur ægri; unde ſi leniter indulgendum huic evacuationi, ea invita urgenda non eſt; non prodeſt quod ad eam promovendam exhiberi poterit, niſi adſit criſi præfixum tempus; in illud obſervandum enixe ſtudium conferebant veteres; ita facile quibuſdam purgantibus vel ſudoriferis febres curari poſſe, nec quidem immerito, exiſtimabant.

Inde autem patet quid de variis curationibus, quæ vulgi applauſu celebrantur, cenſendum ſit; fuit nonnunquam ubi ægri, miteſcente paroxyſmo, aut eo urgente, ſtragulis obruti, impenſe diuque ſudarint, atque febre pertinaci liberati ſint,

non-

nonnulli ſimiliter ſudoriferis calidioribus memorantur reſtituti; præſto autem tunc aderat naturæ curationem molientis conamen, eaque obſecundante extorti ſunt proficui ſudores; potuit etiam fieri ut periculoſa de qua egimus inducta mutatione, ſe proripuerit morbus; unde hæc ſtatim occurrit quæſtio, num in diſcrimen, quod caſu aliquando ſucceſſit, conjici poſſint febre laborantes, ut ea liberentur?

Quod aperientia ſpectat, ea vix præceptis indigent; poſſunt quidem quovis tempore exhiberi quæ lenia ſunt; ptiſana v. g. ex gramine & nitro, aqua ſucco limonum imbuta & ſaccharo edulcorata, multum conferent in ipſa febris vi; non minus conducent borraginis aut bugloſſi leve infuſum, aliaque ejuſmodi; at quæ certa donantur vi, & tollendis obſtructionibus dicata ſunt, ea nonniſi exacto paroxyſmo in uſum vocari debent; imo exſpectandum donec emeſi aut laxantibus expurgata fuerit alvus; id ſaltem febrium initio ſervandum præceptum; cum vero eæ in diuturnitatem abierunt, aut in ipſas recidunt ægri, ut immutatur morbi facies, ita immutanda eſt remediorum exhibendorum methodus; at de ea alius erit agendi locus.

In genere autem ut omnia hæc paucis verbis comprehendam, tanti ſunt momenti ejuſmodi remedia, ut, ſi rite adhibeantur, iis febris curari poſſit; certum ratumque ſit, ut jam diximus, arcanam criſim a natura ſemper parari; unde, ſi ei ſapienter opituletur medicina, expelletur febrile venenum; certis mihi conſtat argumentis id per

alvum

alvum, per ſudoris ſpiracula, aut per urinæ vias, veluti ſponte, non raro exceſſiſſe; hinc ſæpe quorundam remediorum, quæ his favent excretionibus, adeo inexſpectatus effectus; inciderunt nimirum in id tempus quo imminebant critici motus; memini v. g. hominis, qui febris tertianæ aliquot paſſus erat acceſſiones; is cum, poſt accuratam diætam, leviſſimam aſſumpſiſſet tartari ſtibiati doſim, non vomuit quidem, ſed quindecies placideque alvum demiſit, & febris deinde omnino expers fuit; ſimiliter eam in aliis judicatam obſervavi per ſudores protractos, qui paroxyſmos excipiebant, talis eſt ſæpe vernalium intermittentium exitus; autumnales vero difficilius tardiuſque ita ſolvuntur &c.

CAPUT X.

De remediis peculiaribus ſeu febrifugis proprie dictis, quæ emetica, vel purgantia, vel ſudorifera ſunt.

REquiruntur tamen ut plurimum ad febres expugnandas alia remedia magis propria, ea ſcilicet, quæ eas ſpecificis aut peculiaribus viribus poſſint abigere; ab omni ævo conquiſita ſunt ejuſmodi medicamenta, eaque inventa eſſe, cum tamen deeſſent, multis perſuaſum fuit; nihil vero non tentarunt Medici in ea inquiſitione; egimus jam de emeticis & purgantibus; in iis certam

tam poſuerunt ſpem quidam, nec ii quidem incelebres, imo hæc ipſa aut quædam ex iis ſelecta pro arcanis venditata ſunt.

Ea quidem, ut diximus, multum ad febrium intermittentium curationem conferre poſſunt, ſed ei potius viam ſternunt; equidem cum tale ſit earum febrium ingenium, ut motu ſubito aut ſubita motuum naturalium mutatione tolli aliquando poſſint, fieri profecto poteſt, ut emeticorum & purgantium opera eliminentur; præterea ita poteſt comparatum eſſe corpus, ut poſt ventriculi ſubverſionem, aut demiſſa alvo, perfecte reſtituantur partium functiones; tunc autem quadam veluti criſi, & quaſi uno ictu excerni poteſt febrile venenum; at caſu hæc ita ſuccedunt; febri propria aut ſpecifice dicata non ſunt remedia hæc evacuantia, neque per ſe cauſæ febrili adverſa.

Hæc tamen licet in genere vera ſint, de omnibus dicta eſſe nolim; poteſt adverſus febrem peculiaris ineſſe vis in quibuſdam, quæ emeſim movent alvumque expurgant; quod emetica ſpectat, negari non poteſt v. g. quin ea, quæ ex antimonio parantur, plura quam quæcunque alia adverſus febres intermittentes præſtare poſſint; ideo aqua benedicta Rulandi, infuſio croci metallorum, mercurius vitæ correctus, ut vera earum antidota a tot Scriptoribus venditantur; non ſolummodo vomitum concitando, ſed peculiarem vim febrifugam exerendo operam præſtant.

Probat id diaphoreticum minerale, quod toties profuiſſe certum eſt: novi equidem quod quidam Chemici remedio ejuſmodi nil aliud ineſſe dicant

niſi

niſi inertem calcem & indigeſtibilem; ſed num purgantium intendit vim? num in pulmonum infarctu multum poteſt? num certa ejus doſis alvum movet? num ſi in aqua ebulliat cum cremore tartari inde exſurgit purgans certiſſimum?

At probatur imprimis antimonii vis febrifuga *Riverii* antiquartio, quod juxta ipſum & *Jacotium* tantopere commendandum; ambigitur quidem de hujus remedii natura, ſed ſtatim certum videtur aliquid duodecies ſublimatum in eo præſcribi; nam, juxta Authoris deſcriptionem: *componitur nobile hoc medicamentum ex triplici Hercule duodecim laboribus ad nobilitatem*; *evecto* atqui iis verbis nihil aliud innui poteſt, præter mercurium dulcem ſive aquilam albam: non minus certum videtur cum eo mixtum fuiſſe antimoniale aliquod medicamentum, cum vomitum, monente *Riverio*, concitare nonnunquam ſoleret ipſius febrifugum; idem innuit viri ejuſdem ſapientiſſimi metus, ne innoteſcat arcanum ejuſmodi; antimonium enim his temporibus, non ſolum male audiebat, ſed ut venenum habebatur: ideo ambigue indicatur ſub *athletæ novi* nomine; athletæ, inquam, qui mercurio in operis complementum additur.

Hoc vero medicamentum nil eſſe niſi mercurium vitæ ſtatui poteſt; alia enim, quæ ex antimonio comparantur, videtur reſpuere *Riverius*, & mercurii illius vim infringendi methodum accurate tradit; ſi ad ignem, inquit, exhalet, donec fumum emittere deſinat, miteſcit omnino, & vomitum vix ciere ſolet.

Fue-

Fuerat hoc *Petri Fabri* arcanum, licet alio modo adverſus quartanas febres concinnatum; id ex ejus Authoris, Medici item Monſpelienſis, *Myrothecio Spagyrico* mutuum accepiſſe *Riverium* crediderim; propius tamen accedit ad ejus antiquartium quod in *Hartmanni* Scriptis traditur arcanum; is ſcilicet mercurium vitæ cum aquila alba miſcere non verebatur.

Mitior ſimiliter juxta quoſdam fit tartarus ſtibiatus, ſi una ejus pars & mercurii dulcis duæ partes ſupra porphyritem terantur, & calore ſolis exſiccentur; debet autem repeti trituratio & exſiccatio, donec ad perfectam albedinem devenerit pulvis; deinde vero digeratur oportet in ſpiritu vini ad eminentiam duorum digitorum ſuperaffuſi, & tandem igne arenæ exsiccetur.

Quidquid autem de iis ſtatui poſſit, certum eſt remediis antimoniatis adverſus febres egregiam eſſe vim; proſtat *orvietani* cujuſdam ſpecies, cui antimonii vitrum in pollinem redactum immiſcetur, atqui eo innumeras febres tuto citoque curatas novi: & profecto quantum poſſit ejuſmodi remedium ex ejus agendi ratione perſpici poteſt; granis aliquot movetur perſpiratio, majori dosi demittitur alvus, eadem aucta concitatur vomitus; idem præſtat ejuſdem proſapiæ remedium, quod a Medico Parisiensi olim paratum Regiis impensis per varia mittitur loca.

Ut vero antimonium, ita & mercurium, ei in arcano jam memorato conjunctum; febrifugis donari viribus apud multos dubium non eſt: eas celebrarunt *Ettmullerus*, *Williſius*, & ipſe *Hoffman-*

mannus; hoc ſæpe medicamento, varie præparato, & per os aſſumpto, pertinaces febres, & quartanæ imprimis, feruntur ſublatæ; ego quidem experientia propria id confirmare aut impugnare nequeo: quendam tantummodo novi, qui, pulveris cujuſdam opera, febres intermittentes, prope maris littora, in locis uliginoſis, curabat; erat hic pulvis juxta nomen ipſi inditum, *calomelanos* ſpecies, ſeu potius *panacea* quædam ex mercurio dulci pluſquam quindecies ſublimato.

Multo minus vero de frictionibus, quibus ſufflaminatum fuiſſe dicitur febrile venenum, decernere auſim; ſi quibuſdam tamen, nec profecto indoctis, habenda ſit fides, multi venereo morbo & ſimul febre intermittenti laborantes, ex utroque affectu, illiti mercurii opera evaſerunt; negari tamen nequit in media ſalivatione febrim ejuſmodi aliquando ſubortam eſſe, eamque cum ingenti omnium humorum, qui ex univerſo corpore evocabantur, effluxu ad ultimum uſque excurriſſe ſtadium; ſed ad purgationem redeamus alvinam, & aliquando in febribus veluti ſpecificam.

Ex vegetabilibus depromptum mihi innotuit purgans, apud nos per multos annos non incelebre, & non parvo emptum pretio; tithymali ſcilicet linariæ folio deraſa cuticula leni igne exſiccatur, & dein in pulverem redigitur; hic autem pulvis ad ſcrupulum unum exhibetur, eademque per aliquot inſequentes dies ingeritur doſis; quidam in tabellas illum concinnarunt, & lacti infuſum mitiorem evadere crediderunt. Obſer-

ſervandum interim variam omnino fuiſſe hujus medicamenti fortunam; ex Italia advectum in Galliam ſtatim variis inclaruit curationibus; deinde vero, cum in oblivionem veniſſet, in uſum iterum revocari cœpit; quidam, juſſu Regio illud experti, nil animadverterunt, quod priſtinæ ipſius famæ reſponderet; vim draſticam inſuper non ſatis fractam reformidarunt; alii tamen, iique non pauci, ejuſmodi remedio ſublatas eſſe in Noſocomiis febres teſtati ſunt; unde aliquam adverſus eas illi ineſſe vim negari nequit, ancipitem tamen, & ideo a cautiori Medico alienam.

Proſtat ejuſdem proſapiæ remedium, quod arcani inſtar venditatur; ipſius autem vires gummi guttæ imprimis debentur; nec id profecto ruſticis, aut firmiori viſcerum robore donatis exiguam præſtat operam; innumeros contumaci febre laborantes perfecte reſtituit, nec quid detrimenti attuliſſe queruntur qui eo uti auſi ſunt. Ut autem præcaveantur quæ ex ejus gummi uſu impendere videntur viſcerum perturbationes, infringenda eſt ejus vis; quod facile omnino aſſequi licet; ſapone enim temperatur, uti & æthiope minerali; imo & formidanda alias acrimonia exui poteſt ſolius mannæ beneficio; ſi enim hujus unciis duabus addantur gummi ejus grana quindecim aut viginti, non ita draſticum inde exſurget medicamentum, ſed optime purgans & innocuum: hydropicis ſaltem id ſæpe, nec ſine fructu, audacter exhibui: in febre vero intermittenti grana aliquot cum ſucco glycyrrhizæ, cum ſapone, & tartaro vitriolato trita, uſurpare ſatis erit.

Eſt aliud purgans mitius, quod fuit quorum-

dam arcanum, cremor ſcilicet tartari ad unciam unam per dies aliquot mane exhibitus; hoc ei peculjare ineſt, quod ſimul refrigeret, alvum moveat, & putredini adverſetur; unde non contemnendum medicamentum eſſe cenſuerim in febrium initio, ſi autem non ubique ſucceſſerit, hoc habet commodi, quod illius vi ſoluta alvo & refrigeratione inducta per certum tempus, levi remediorum, quibus majores inſunt vires, doſi & opera, facilius ſe ſubducant febres & difficilius reviviſcant.

Idem dici poteſt de arcano duplicato *Mynſichti*, qui eo plures fugavit febres, cum alia incaſſum fuiſſent tentata; eodem ego remedio feliciter nonnunquam uſus ſum; refrigerat, purgat, aperit, bilem peculiari modo corrigit, & tandem reſerandis hepatis clauſtris aptiſſimum eſt; unde inter febrifuga non infimum tenere locum ſtatui poteſt; febribus tamen verno tempore potius quam autumno graſſantibus aptius videtur; hiſce omnino debellandis ut plurimum impar eſt, niſi forte ſtrictiori diæta ſalis illius adiuvetur uſus, iſque diutius protrahatur; nihilominus tamen ſæpe fallit; at quod magni momenti eſt, aliorum febrifugorum vires egregie ſolet intendere.

Ejuſdem cenſus eſt Riverii febrifugum ex ſale abſinthii & ſpiritu ſulphuris confectum; exſurgit inde ſal præcedenti non multum diſſimile, ut ex Chemia patet, ſalium geneſim attendenti; ſed longe alias vires tribuerim magneſiæ albæ, quæ nonnullorum febrifugum eſt; hoc tamen habet incommodi, ut ubique eadem non proſtet; nihil

eſt

eſt pleriſque in locis, niſi terra iners, ſive id ex præparatione, ſive quod potius crediderim, ex diverſa eorum ex quibus nitrum extrahitur natura.

Quidquid ſit, præſtantior eſt magneſia Maſſilienſis; ad eam proxime accedit Leodienſis; utraque autem aquæ largiori quantitate diluta operari ſolet; nonnunquam tamen cum cremore tartari mixta commode & feliciter præſcribitur; novi Medicum, qui eam vino albo ad ſupereminentiam quatuor aut quinque digitorum per noctem infundebat; mane autem decantatum vinum pro purgante exhibebat, eoque ipſe utebatur.

At licet egregia præſtent aliquando ejuſmodi medicamenta, non tamen iis in pleriſque febribus licet omnino confidere; fallunt hæc ſæpiſſime aut non niſi ad tempus febrim tollunt; noſſe tamen ea magni intereſt, ut cum melioris notæ febrifugis conjungantur, vel ut in eorum vicem aliquando ſubſtitui poſſint; ſunt certa temperamenta, & certæ febres abnormes, quibus ejuſmodi remedia aptiora ſint; ſuppellectile ergo oportet inſtructus ſit Medicus, qua naturæ diverſis in caſibus poſſit opitulari.

Quæ de emeticis & purgantibus jam diximus, de ſudoriferis dicenda ſunt; quibuſdam ex iis ad expellendum febrile venenum vires eſſe inſignes multis perſuaſum eſt; neque profecto negari poteſt quin multa aliquando, eaque egregia præſtiterint; at nulla ex iis vera febris antidota dici merentur; ne in theriaca quidem eſt talis vis, licet ei tantum tribuerint Veteres; quouſ-

que autem tali remedio credi poſſit, patet apud ipſum *Galenum*; obſervavit enim eo adhibito, ſimplicem quartanam in duplicem, imo & triplicem abire; idque *Eudemo* philoſopho contigiſſe memorat.

Quod in encomiis talium remediorum apud Medicos periculoſum eſt, laudata ſunt ab iis multa non innocua; in bezoartico Joviali v. g. egregiam latere vim adverſus febrem multi aſſeruerunt; at difficilis eſt omnino ejus medicamenti præparatio; ſi quid in ea peccari contingat, noxium omnino eſſe poteſt; præterea non tam inſignes, ac creditum eſt, ſunt ejus vires, ut mihi propria conſtat experientia; mallem profecto *diaceltateſſon Helmontii*, quod nobile remedium eſt; non tamen illud ut certum febrifugum haberi velim.

CAPUT XI.

De aliis remediis vi quadam arcana vel ſpecifica agentibus.

AD alia, quorum dotes & vires omnino diverſæ ſunt, & quæ febri intermittenti magis videntur propriæ, devenerunt Medici; ſubolfecerunt vel ipſi Antiquiores in amaris latere vim febrifugam; ideo gentianam, chamædrym, marrubium, centaurium minus, trifolium fibrinum,

imo

imo & aloem ipſam experti ſunt multi, idque ſæpiſſime non infeliciter; centaurium minus imprimis laudarunt, ſed eo ſummum excitari æſtum, ipſumque febri vires addere non raro obſervavi; negari tamen nequit, quin cortici Peruviano additum multum aliquando profuerit; ſuſtulit enim febres aliis non obſequentes remediis; quin imo, ſi decoctum ejus præmiſſis præmittendis cum laudano liquido Sydenhami vel cum camphora exhibeatur, multa fertur præſtitiſſe; idem proditum eſt de infuſo florum geniſtæ: at neque cum narcoticis ſolum, aut cum camphora adhibitum centaurium minus prodeſſe poteſt; liquet mihi ipſum cum aliis conjunctum adverſus multas febres in uſum vocari poſſe; miſceatur v. g. cum tartaro vitriolato, aut, quod omnium inſtar eſt, cum pulvere temperante Stahlii; ſuperbibatur calidum borraginis & cichorii infuſum, dubium non eſt quin ita non contemnendum comparetur febrifugum; tutior autem & magis certa erit ejus vis, ſi remediis generalibus ei ſtrata fuerit via, ſi abſit viſcerum fervor nimius, ſi in iis nulla ſit labes, ſi per quoddam tempus excurrerit febris, &c; non interea tantæ viderentur adhibendæ cautiones, ſi certa ſpectarentur exempla; quamplurimi curantur ruſtici centaurii minoris decocto, vel cum abſinthio, vel cum cichorio; primum acrius eſt, aliud vero magis temperatum, ideoque anteferendum.

De aliis amaris nil eſt quod dicam; incerta quædam aut quandoque non innoxia ſunt; hoc v. g. gentianæ non immerito exprobrari poteſt,

cum ipſi acrior inſit amarities, & calorem intendere ſoleat; quod vero aloem ſpectat non minus, in certis præcipue temperamentis, formidanda eſt ejus acrimonia; obſervatum tamen hieræ picræ ſpecies cum cortice Peruviano conjunctas, & cum ſyrupo abſinthii in bolum redactas adverſus certarum febrium pertinaciam magno fuiſſe adjumento, idque imprimis in firmiori donatis viſcerum robore.

Ut ejuſmodi medicamentorum vires accuratius æſtimari poſſint, obſervare eſt, febrile venenum ita quandoque partibus infixum hærere, ut vix de loco ſeu fomite dimoveri poſſit; ſi ergo ad febrifugorum quorundam vires accedat vis penetrans, ſtimulanſque, tum vaſorum extremos ductus reſerans, poterit inde percipi multum opis; ideo cum præſtantioribus remediis non ceſſiſſent febres, amaris, de quibus jam egimus, expugnatæ ſunt; mulierem vidi incondito abſinthii, centaurii minoris, chamæmeli ſalicariæ decocto, incaſſum diuque tentatis aliis omnibus, perfecte fuiſſe reſtitutam; at in ancipiti eorum remediorum uſu ſumma prudentia opus eſt.

Quod vero non magis a febrium curatione alienum videtur, multi adſtringentia ut febrifuga habent; alii alumen, vel ſolum, vel cum nuce myriſtica, alii vero plantaginem & pentaphyllum exhibuerunt.

In alumine profecto adverſus febres quædam latet vis; hoc enim aqua ſolutum non infeliciter uſurparunt quidam; eadem vi pollere plantaginem aſſeruere multi, ejuſque ſuccum immediate vel duas ante acceſſionem horas exhibuerunt; ego

qui-

quidem juſculum, quo erant incocta ejus herbæ folia, febres contumaces abegiſſe novi; pentaphyllum interea felicius ſuccedit, ut & deraſa ex radice pruni ſilveſtris pellicula; non tamen hæc uſurpanda cenſuerim remedia; cum enim partes veneno febrili infectas conſtringant, id in iis altius infixum remanere poteſt.

Potiori jure laudata ſunt quædam penetranti vi prædita, aperientia ſcilicet, & ſaponacea; inter illa autem eminet bardana, quæ & ſimul ſudorifera eſt; ejus viribus dicitur quartana liberatus *Henricus tertius* Galliæ Rex; multaque alia ſimilia referuntur exempla; at non minus eadem vi pollet veronica, teſte *Caſalpino* earum rerum æſtimatore æquiſſimo; ejuſdem denique cenſus eſt raparum ſuccus, quem *Crato* plurimis extollit encomiis; nihilominus iis remediis fidendum non eſſe, ut veris febrifugis, experientia docet quotidiana; ſi quoſdam curarunt, pleriſque inutilia fuerunt.

Plus ſpei ponendum cenſerem in ſalibus aperientibus, de quibus jam egimus, ut v. g. in ſale febrifugo, quod *Sylvii* nomine circumfertur, & cui nimium tribuerunt Medici, ipſeque Authors; purgantia quidem ſalia vim ſimul febrifugam habent, non tamen certam, ut diximus; ideo ſal ammoniacum ipſis longe in variis caſibus anteferendum; inſignes ei inſunt vires, etiam adverſus febres maxime contumaces, unde aliquando irritis aliis remediis, ad ſal illud confugere cogimur.

Ad vim denique aperientem & penetrantem re-

ferre licet ſalium Tachenianorum toties laudatos effectus; vires quidem plantarum, ex quibus extrahuntur, in iis ſuperſtites eſſe nequeunt; igne enim immutantur earum principia; partim autem alkaleſcentia ſunt, & partim aut ferme omnino concreta ejuſmodi ſalia; olei tamen craſſioris & uſti aliquid ſimul in iis ſupereſt; unde tollendis obſtructionibus ut quodammodo ſaponacea aptiſſima ſunt; homogenea interim ipſa eſſe non eſt exiſtimandum; ſal abſinthii v. g. ita paratum tartari vitriolati multum continet, imo ex illo ſalis communis certam collegiſſe copiam memini; ſi vero aut aqua ſolutum, aut in ptiſana laxante exhibeatur, non parum ad febrem abigendam conducere poterit; imo eam ſervatis ſervandis tollere aliquando aptum erit; aliquando inquam, idque obſtructa vaſa reſerando, & fluxilitatem ſanguini conciliando, potius quam vim ſpecificam exerendo; ita ſublatis impedimentis febrile venenum naturæ ſolius viribus abigi crediderim.

Nec ſolum ipſis ſalibus calcinatis, ſed etiam terris ineſt aliquid febri fugandæ idoneum; nam teſtæ ovorum calcinatæ feliciter adverſus eam adhibitæ ſunt; probant id multa experimenta in Noſocomiis inſtituta; additum eſt eis aliquando ſal abſinthii, iiſque mixtis uſum novi Medicum, idque cum ſucceſſu non pœnitendo; at cum in deſuetudinem abierit ejus remedii uſus, aut deficiant medicatrices in eo vires oportet, aut in quibuſdam tantummodo febribus profuerint.

Accedit aliquatenus ad eas terras ignem calcinationemve expertas ſal tartari, quo in variis ægris

uſus

uſus eſt *Riverius*; id nimirum aqua ſimplici ſolvere ſolebat, ægriſque ita ſolutum exhibebat; ego quidem illud in uſum vocavi in quartana contumaci, eamque nonnunquam feliciter ſuſtuli; non tamen ejuſmodi ſalis genus, utpote acriori vi præditum ubique commendarim: ſi quando vero adhibeatur, id potius in aliorum febrifugorum ſubſidium veniat oportet, quam ut febri tollendæ per ſe ipſum non impar medicamentum.

Quod vero mirum omnino videbitur, ut alkalina, ita & acida febrim aliquando imo & ſæpius ſuſtulerunt; vidi qui hauſto integri mali citrei ſucco, eoque in aquæ aut infuſionis theæ cyathum inſtillato, paroxyſmos cohibuerunt; imo in certis regionibus, ad auſtrum ſitis, non præſentius remedium experiuntur ægri.

Idem præſtitit nonnunquam Elixir vitrioli, *Mynſichto* authori, aliiſque celebratum; vidi qui illud cortici Peruviano inſtillarent; iſque ita irroratus præſtantioribus pollere viribus credebatur; in uſu erat imprimis advertſus eas febres, quæ in locis uliginoſis marique proximis graſſabantur; nec profecto ab earum natura id alienum eſſe remedium dici poteſt, cum ex putrido imprimis miaſmate ortum trahant.

Aceti denique vires non minus proficuas experti ſunt multi; hoc ſaltem teſtari poſſum in quadam intermittentium conſtitutione epidemica hoc optimum fuiſſe prophylacticum; nimis profecto eviluit apud nos ſummum remedium, paratu & inventu facile; obliviſci non licet quantum ex eo perceperint fructum Romani exercitus.

Inde

Inde non mirum videri debet, ſi ſpiritui ſulphuris tantum tribuerit *Riverius*; ſed quod minus exſpectandum eſſe credi poſſet, eſt ejus medicamenti vis in cutis ſpiracula; eo, inquit ille Author, moventur copioſi ſudores, ſi cum aqua hauriatur, idque multis conſtat experimentis; plures tertianas febres hoc remedio curatas vidimus, cum in ſummo æſtu & ſiti urgenti exhiberetur; inde copioſi profluebant ſudores, quibus, non ſolum paroxyſmus, ſed etiam totus morbus integre ſolvebatur.

Ea eſt profecto eorum remediorum, acidorum ſcilicet, vis, ut, ſi iis omnino confidere non liceat, multum tamen ad febrium curationem conferre poſſint; magis conducerent fortaſſe, ſi accurate inſtitueretur diæta, ſi præmitteretur vomitus; putredini enim omnino adverſantur, heterogenea ſanguinem inficientia immutare apta ſunt, unde febrilis veneni vires infringere poſſunt: hinc ſaltem concludere non abſonum eſt, quod aliis febrifugis viam ſternant, eorumque vim adjuvent; acidi ergo potus copia, in iis imprimis febribus, quæ magna vi decurrunt, diluendus eſt ſanguis.

Remediis aliis, ſibique ſimiliter aliquando adverſis uſi ſunt Medici; aromatica ſcilicet antiſeptica partium textum ſtimulantia, & narcotica motum inhibentia, uſurparunt; quod vero ſtimulantia ſive calidiora ſpectat, de duobus tantummodo agam, quorum vis non contemnenda viſa eſt; abſinthium laudarunt ipſi Veteres, eoque feliciter uſus videtur Medicus Italus ex recentio-

ribus;

ribus; chamæmelum non minus efficax *Zacuto Luſitano* & *Manardo* viſum eſt, atque ejuſdem flores commendavit deinde *Mortonus*; ſi tamen lateat in iis febrifuga vis, ut negari nequit, fatendum ſæpius eam fallere, eaque mordacem accendi calorem, qui febrium curationi maxime adverſus eſt.

Quod ſpectat narcotica, fatendum in iis, ut inquit *Riverius*, aliquam ineſſe vim ad cohibendos febrium paroxyſmos; opio uſus eſt *Trallianus*, qui cum caſtoreo, aliiſque illud exhibebat, ut certum remedium, duas ante inſultum horas; idem commendat *Heurnius*, ſed cum aliis mixtum, nec minus, juxta eum, efficax; novi denique Medicum, qui camphoram ſolam ipſi addere ſolitus erat, felicemque effectum deprædicabat; non dubium profecto quin ſi cum croco uſurparetur opium, febris cauſam perinde poſſet attingere; in utroque ſcilicet eſt vis febrifuga & ſomnum concilians, in croco præterea eſt vis movens leniter & aperiens; hæc tamen remedia non niſi ſumma cum cautela uſurpanda ſunt; non ſuccedunt enim niſi præmiſſis evacuantibus & refrigerantibus; proſunt potius in ea febre, quæ per aliquod tempus excurrit, quam in ea, quæ modo incœpit; nihilominus temulentiam inducunt non raro, & ut plurimum fallunt.

Multo minus videntur commendanda quædam ex Medicinæ penu non deſumpta; credi vix poſſet quæſitum eſſe antifebrile remedium in humani corporis excrementis; atqui tamen teſtari poſſum febres admodum contumaces urina epota eſſe devictas; ne autem medicamenti hoc genus, licet

ſpur-

ſpurcum, ita abſonum videatur, in memoriam revocare oportet, ſalis ammoniaci vires urinoſis ineſſe ſalibus; non alieni præterea ſunt ab ipſis ſales alkalini volatiles, qui ut vere febrifugi habiti ſunt; non adeo ergo culpandi eſſent Empirici, ſi alia magis a ratione aliena non uſurparent.

Ejuſmodi medicamentorum arcanam agendi rationem definire non licet; hoc ſolummmodo certum eſt, latere in quadam animalium ſubſtantia quid febri intermittenti adverſum; imo in quibuſdam magis eminet hæc vis; nam millepedes v. g. & caro ipſa viperina cum aliis febrifugis valde, ut modo dicemus, profuerunt; quin etiam ſola aranearum tela in pilulas convoluta febres ipſas quartanas, me teſte, ſuſtulit, aut per certum tempus earum avertit paroxyſmos; parva tamen omnino doſis erat exhibita.

Inde non ita mirum videbitur quod, in quibuſdam regionibus ad boream ſitis, vulgi opinione celebratur; habentur ſcilicet in iis haleces ut vere antifebriles; imo fertur hac de re propoſitum diligentiæ præmium iis, qui hoc piſciculorum genus muria conditum in certa loca primi advehendum curarent; narratur inſuper, ſtatim atque huius edulii uſus invaluit, evaneſcere febres, aut ſaltem earum miteſcere paulatim inſultus.

Ut nihil relinqueretur intentatum, quidam ad venena ipſa confugere auſi ſunt; arſenicum ab iis adhibitum, eoque plurimæ febres memorantur devictæ; ſed ægri in phthiſim tandem delapſi mortui ſunt: non tantum ineſſe periculi in ſublimati corroſivi leviſſima doſi, & jure quidem, crediderunt nonnulli

nulli, ſed prudenti Medico tale remedium experiri non facile in mentem veniet; narravit mihi *Dodartius* ſe id, licet variis experimentis confirmatum, publici juris facere Religioni habuiſſe: deinde vero mihi infauſta non defuerunt exempla, quæ me ab ejuſmodi exhibendo febrifugo deterruerunt.

Non æque deleteria eſt alia veneni ſpecies ex vegetalibus deſumta, faba ſcilicet Sancti Ignatii; novi hominem, qui eam ruſticis ſummo cum emolumento exhiberet; eſt & remedium, quo in urbe celeberrima utuntur innumeri non infeliciter; ejus autem vires ex ea faba pendent, quam plerique tamen reformidant, aut tanquam venenoſam damnant Medici.

Externa medicamenta, ut inunctiones & epicarpia apud vulgus potius quam apud Medicos invaluerunt; inunctiones quidem in ſpina dorſi imprimis inſtitutæ ſunt, ut frigus, quod in ea parte ſævire ſolet, averteretur; dubium profecto non eſt, quin vis medicamentorum, quibus illiniuntur ægri, poſſit aliquando proficere; non minor percipietur fructus ex frictionibus, nimium profecto ætate noſtra neglectis; nequaquam tamen hiſce ſolis remediis confidendum, uti nec obſiſtendum, ſi quis iis uti voluerit.

Quod vero ſpectat epicarpia, ſi quod ex iis percipiatur levamen, id non ex quadam vi proprie febrifuga pendere exiſtimandum; motui potius in toto corpore aut aliqua parte, uti per admotum ſtimulum concitato, tribui debent quædam curationes, quæ mirabiles viſæ ſunt; circum-

feruntur v. g. unguenta, quibus parti cuidam illitis erumpunt per diverſas partes exanthemata, & varii cientur motus in intimo viſcerum textu; atqui idem aut ſimile quid in epicarpiorum uſu ſæpe contingit; Ranunculus v. g. pratenſis, ſi manibus carpiſve admoveatur, iiſque per certum tempus inhæreat, ſequitur calor, dolor, eroſio cutis; hujus ergo ſtimuli vi, effluviiſque in partes internas delatis quandoque curari poteſt febris, nec deinde reviviſcere; at inde graviores prodiiſſe morbos in quibuſdam ægris obſervavi.

Non ita tamen abigi febrile venenum exiſtimari velim certis epithematis, quibus non ineſt hæc vis ſtimulans; licet non ignobilium Scriptorum encomiis talium remediorum celebrentur effectus, ii admodum dubii ſunt; & ſi quid in ipſis verum ſit, pendet id ſimiliter ex ſubtili & incognita effluviorum vi in corporis intima per cæcas vias penetranti; ſed confidant talium remediorum viribus, qui earum certa habuerint argumenta.

Ejuſmodi ſunt febrifuga quædam interna ſive externa, quæ partim ab antiquis, partim a recentioribus in uſum vocata ſunt, & etiamnum a quibuſdam vocantur: at de eorum uſu & fama multum detraxit cortex Peruvianus; majores noſtros latuit divinum hoc inventum, nec noſtra id lubens recepit ætas; pauci id ſtatim probarunt Medici; multi vero in eo deleteriam vim ſuſpicati ſunt; ſed vicit tandem eorum pervicaciam aut metum conſtans felixque experientia.

Non ita tamen hoc dictum velim, ut omnino compoſitæ credantur lites & querelæ; ſunt gen-

tes,

tes, apud quas etiamnum male audiat corticis Peruviani ipſum nomen; apud Belgas v. g. Batavos & Germanos abhorret ab eo Medicorum vulgus; atqui omnia, quæ tam ſalubri medicamento exprobrantur, perverſæ in ejus uſu methodo omnino tribuenda ſunt; hoc Hiſpani, Galli & Angli ab omni ſuſpicione vindicarunt, nec quidquam earum gentium conſenſui objici poteſt.

Ita fidum & innocuum eſt remedium hoc, ut ex tot ægris, quibus id præſcripſi, nullum viderim, qui merito de hoc queri poſſet; non tantum inducias dare ſolet, aut ut dicitur febrim ad certum tempus refrænare; ſed eam radicitus, præmiſſis tamen præmittendis, tollere poteſt; quin imo, ſi rite adhibeatur, ſtomacho eſt amiciſſimum, tranſpirationi fovendæ & promovendæ idoneum, ſanguinis fluori & colori intendendo aptiſſimum, in nervorum morbis proficuum, & adverſus primarum viarum ſordes antiſepticum præſtantiſſimum.

Alia, eaque mira omnino, de hujus remedii viribus deprædicant viri non incelebres; ſed ut iis obſervata referentibus fidem denegare nefas eſt, ita æquum videtur, ut nonniſi experientia propria in eorum adducamur ſententiam; non illico equidem abjicienda quæ vel ab ipſa ratione abhorrere videntur; ſuæ ipſa imbecillitatis conſcia ſibi diffidat oportet, & naturæ exſpectet judicium; ſed non minus certis diffidendum experimentis, niſi doctiorum conſenſu comprobata ſint; videre cuivis & experiri licet, judicare autem paucorum eſt.

LIBER QUARTUS

DE METHODO IN REMEDIORUM ANTIFEBRILIUM USU ADHIBENDA.

CAPUT I.

Præmittuntur quædam ad inſtituendam curationem ſpectantia.

REmediis jam memoratis ſubigi poſſunt febres intermittentes, ſed ea noſſe non ſatis eſt: utcunque proficua ſint, non ejuſmodi ſunt, ut quovis modo exhibeantur febri impugnandæ apta ſint: ſuum tempus eſt his dicatum; alia aliis tutius in uſum vocantur & præſtantiora ſunt; ea igitur ſeligere & utendi modum tradere operæ pretium eſt; ſed ut curandi ratio clarius pateat, quædam præmittenda cenſuimus,

mus, & primo quidem num præcaveri poſſint febres inquiremus? deinde vero num, ſi naturæ committantur, ipſius opera curari poſſint? denique num omnes eiſdem ſubjiciantur remediis? & num, antequam ipſarum ſuſcipiatur curatio, ſibi per aliquod tempus relinquendæ ſint?

Quod prophylaxim ſpectat, eam commendare maxime intereſt, cum graſſantur febres intermittentes; nam, ſi epidemice inſurgunt aut endemiæ ſunt, undique impendet periculum; incumbit circumfuſum corporibus febrile venenum, eique patent eorum partes; atqui ab eo immunis eſſe poterit qui viſcerum proſpiciet functionibus; id ſæpiſſime præſtat inſitum a natura robur; multi enim epidemiæ graſſantis vim effugiunt; at præcavetur imprimis ejus labes, ſi alimentorum habeatur delectus, ſi ſecretionibus & excretionibus non obſit ingluvies, ſi bilis nec acrior nec nimius fuerit proventus, ſi expurgetur remediis ipſi dicatis, ſi vel leviſſime affecti corporis prodeuntibus ſignis ſtatim medela inquiratur, ſi vomitus imprimis concitetur & ſi febrifuga in uſum vocentur; &c.

At ejuſmodi eſt humanum ingenium, ut vix de impendentibus malis ſollicitum videatur; ad curandi ergo rationem devenire præſtat; ſtatim autem hic incidit magni momenti quæſtio; num ſcilicet, ſi committantur ſibi febres intermittentes, per ſe ipſas ſeu ſponte curari poſſint? nec profecto id dubium ſi quibuſdam credatur; exiſtimant enim ii febribus his certum præfixum eſſe tempus, ipſaſque ſeptimo circuitu judicari con-

tendunt, ita equidem a natura comparatum esse videtur, ut si accurato regimini subjiciantur ægri, regimini inquam, quale in morbis acutis servari solet, brevi concidat febrilis vis; an vero non ultra septimum paroxysmum progrediatur, idque perpetuum sit non ita liquet; certis tantummodo constat exemplis sæpissime his limitibus circumscriptam esse febrem; sed ut certo innotescat an his excedere soleat, alia requiruntur experimenta accurate instituenda; de his vero ne ullum relinquatur dubium, ut regimini addicatur oportet certus ægrorum numerus.

Quod tamen in dubium revocari nequit, si cum jam dicto regimine adhibeantur levia remedia, generalia nempe & non alia, facili negotio curari poterunt sæpissime febres intermittentes; id v. g. ita se habebit, si febrili motui non insit summa vis, & si non grassetur epidemia gravior; sunt autem necessaria quæ modo diximus remedia, quia adest non raro nimia sanguinis copia, quia pravis succis scatent primæ viæ, quia denique summus aliquando bilis proventus; removenda ergo sunt statim omnia hæc impedimenta, ut sponte & propriis viribus opus suum absolvat natura.

Cum vero ab ea curationem, seu propter ægros moræ & regiminis impatientes, seu aliis de causis, exspectare non liceat, alia instituenda est medendi ratio; sed ut quænam esse debeat statui possit, videndum statim num omnes febres intermittentes eisdem subjaceant remediis? non esse inter eas quæ peculiaria sibi vindicent auxilia certum

est,

eſt, ſi diverſæ non ſint indolis; atqui, ut diximus, nullatenus diſcrepant tum vernales, tum autumnales, atque aliis temporibus exortæ; in vernalibus ſolummodo mitius eſt febrile venenum, aut potius præſto adſunt cauſæ, quibus diffiari poſſit; unde ſponte ſe ſubducunt, poſtquam per breve excurrerunt tempus.

Hoc interea perpetuum eſſe credendum non eſt; duplices enim tertianæ tunc temporis exoriri poſſunt, quæ vel ipſis remediis non facile cedunt; ipſæ tertianæ graviores nonnunquam eſſe ſolent, atqui tunc cortice Peruviano opus eſt; quod iterum demonſtrat tum vernalium tum autumnalium eandem eſſe originem & naturam; idem liquet ex pertinaci earum ingenio, quæ ex autumno in vernum tempus tranſiliunt; mitiores autem tunc fiunt, & ut vernales veræ facili negotio curantur; atqui dubium non eſt, quin iis idem dicatum ſit febrifugum, quo primo egebant exortu; probat id experientia, cui refragari non licet.

Idem ſit judicium de iis febribus, quæ in alia incidunt tempora; nec profecto, ſi eæ graviores ſint, ut in certis epidemiis, nec ipſi cortici Peruviano obſequi videantur, peculiare idcirco in ipſis genus ſuſpicari licet; cauſa tantummodo gravior eſt; continuo circumfuſa corporibus incumbens, altiuſque infixa, remedio quibuſcumque intermittentibus proprio ſæpe obſiſtit, idque videtur reſpuere; videtur inquam, nam ſi initio adhibitum eſſet, rite præmiſſis præmittendis, cauſæ febrilis pertinaciam id ſuſtuliſſet; imo ut plurimum, licet ingraveſcentibus ſymptomatibus, eam tollere aptum eſt.

Sed prodit alia non minoris momenti quæſtio, de iis febribus, in quibus tum ad generalia, tum ad propria deveniendum remedia; quæritur ſcilicet, num ſtatim atque exortæ ſunt, earum curam moliri neceſſe ſit? an vero ſibi per certum tempus relinquendæ? invaluit apud multos opinio, quæ facilius, imo & tutius, eas curari ſtatuit, poſt aliquot exantlatos paroxyſmos; quid autem de ea opinione cenſendum eſt?

Non agitur hic de iis ægris, quibus ſalubres eſſe exiſtimantur febres; ſi earum ope tolli poſſit alius affectus, tunc quidem per aliquod tempus licet eas naturæ committere; at ſi in corpora non male habentia incidant, num melius eſſet, ſi ea nuſquam attigiſſent? num proinde ſatius eſt ægros cito in priſtinam reſtitui valetudinem, quam eos venenc per omnes partes ſæviente excruciari, quam ſecretionum perturbationi eſſe obnoxios, quam obſtructionum periculum incurrere, quam denique præternaturalem circuitus & caloris vim per certum tempus experiri, &c?

Ego quidem, & febrium genus earumque vim animo reputans, eis aliquando, ſi benigniores ſint, laxare habenas non vereor; at cum liquido conſtat ipſas naturæ viribus nonniſi ægre ſuperari poſſe, ad remedia generalia, & dein ad ſpecifica quamprimum licet deveniendum exiſtimo; nec profecto per multorum annorum ſeriem quidquam mali inde ortum vidi; imo febres graviſſimas abſque ullo ſui relicto veſtigio evanuiſſe obſervavi.

In eo ſolum verſatur rei cardo, ut rite exhibeantur febrifuga, & iis per varia remedia & per diætam imprimis diluentem, aperientem & refrigerantem ſternatur via; fateor equidem, quod ſi ſtatim, aut citius quam par eſt, ad antifebrilia, eaque calidiora, confugiant Medici, fore ut multis noceant, imo & ipſis quos curaſſe videbuntur; ſed inde non ſequitur ſibi per longius temporis ſpatium relinquendas eſſe febres; ſolent eæ ita ſibi permiſſæ altiores agere radices, difficiliuſque curari; unde quamprimum fieri licet morbo utcumque inſonti occurrendum.

His præmiſſis triplicem, eamque fidam medendi methodum inſtituemus; prima erit ea, quæ venæ ſectione, remediis vi aperienti, ſecretiones promoventi, vias primas expurganti præditis ſolummodo utitur; hanc ſi accuratius noviſſent Veteres, certis deſtituti febrifugis, ea multis in febribus non deſideraſſent; ipſas enim corporibus nuſquam noxia plerumque ferme expugnare poteſt; imo ita neceſſaria eſt, ut alias non ferat quandoque ipſa ægrorum & morbi ipſius natura.

Secunda methodus ab ea non erit multum aliena; tota enim in ſudoriferis temperatis, certo quodam modo adhibendis, poſita eſt; hoc tamen ipſi proprium eſt, quod imminenti frigori occurrat, & ita qui inſequeretur paroxyſmum ſufflaminet; tanti autem facienda eſt, ut ea ſola ſummum aliquando vitæ diſcrimen averti poſſit.

Tertia denique methodus ea erit, quæ in febrium curatione rem totam ſpecifico Peruviano conficit; eo præcipue commendanda eſt, quod, in-

caſſum adhibitis aliis remediis, in certum veniat ſubſidium; quod in mali moris paroxyſmis veluti ſacra ſit anchora; ſed cautelam, ut videbimus, poſtulat, ne, dum prodeſſe ſtudemus, imprudenti tentamine noceamus.

CAPUT II.

De methodo, quæ remediis generalibus aut ſoli febri intermittenti non dicatis eam curat.

DE hac methodo quædam jam innuimus, cum aperientium remediorum expenderemus vires; egimus namque de abſtinentia, de aqueo potu, de ſeri lactis uſu, &c; ſed, ut diximus, pauci omnino ſunt, qui ejuſmodi medendi rationi ſe patiantur ſubjici: & quæ ab uſu aut opinione aliena ſunt, proficua licet, reſpuuntur; atqui tamen ſimpliciſſima hæc naturæ placuerat eſſe remedia paratu, ut inquit *Plinius*, & inventu facilia; præſtantiora videntur quæ prodeunt ex iis officinis, in quibus ſua cuique venalis proponitur vita, & opinioni morem gerere cogimur.

Non magis arridet alius curandi modus, a modo dicto non multum abludens; diximus nempe, ſervato regimine, eoque accurato ſibi relinqui poſſe febres intermittentes; at regiminis non minus quam exſpectationis ægros tædet; cito curari volunt & ſe deſeri exiſtimant, niſi obtrudantur remedia; impugnanda eſt ergo febris, idque aliquan-

quando invita natura : ecce autem methodum ipsius ductu institutam, ideoque, licet neglecta sit, pluris faciendam; multum tamen abest ut eam, sicuti securam ita & ubicumque certam esse ausim asserere; mederi tantum posse plerisque febribus existimo.

Sit v. g. febris vernalis, quæ curanda occurrat; cum ea ut plurimum benigna sit, potest statim sibi relinqui, brevi enim judicari solet: servetur tamen oportet accurata victus ratio; ea enim neglecta, diutius excurrat oportet febrilis vis; si quando adjuvanda videatur medicatrix natura, diluentia sola & aperientia huic scopo sufficient; sit interim alvus laxior oportet, ejusque expurgatio desinente morbo molienda, idque purgantibus leniſſimis; cavendum enim ne per intestinorum anfractus hæreant & stagnent succi degeneres; eorum semper in quacunque febri, etiam benigniori, metuendus proventus.

At si simplices non sint vernales febres, si validiori ferantur impetu, si septimum præterlapsæ fuerint paroxysmum, artis præsentius subsidium postulant; & primo imperanda est tenuis diæta, qualem libro tertio innuimus; interea pro ratione febris mittendus est sanguis, idque initio imprimis, aut si neglecta sit vel deinde incandescat; nec profecto quorundam *aimophoborum* præceptis standum est; nolunt nempe adhiberi venæ sectionem, nisi admodum rubeat vultus, nisi adsint capitis aut aliarum partium dolores, nisi plethora urgeat pulsusque validior sit; at satis est si vigeat febris ut a sanguinis detractione incipiendum sit.

Ea autem præmiſſa ad primas vias reſpiciendum; ſtatim atque per intermiſſionem licet, ano evocandæ ſunt ventriculi ſordes; ad eum quidem expurgandum, prægreſſa ingluvie, præcordiorum gravitate, oris amarore, linguæ ſpurcitie induci debemus; ipſius tamen febris cauſa, hepati imprimis adverſa, emetici requirit vim; tartaro igitur ſtibiato aut ipecacuanha uti licet; in pueris vero ſyrupo Glauberi concitari poteſt vomitus.

Hoc ſolo remedio innumeræ expugnatæ ſunt febres vernales; ſi vero ita res ſucceſſerit, in prophylaxim inſtituenda eſt ſalubris victus ratio; præcavendum imprimis frigus, alvi laxitas ſervanda, exercitatio commendanda; his tamen, utcumque repreſſa febrili vi, omnino ſtandum non eſt; alvus leniter expurgetur oportet, ne quidam, ut diximus, ſuperſit fomes; ad eum delendum tamarindi imprimis cum aliis purgantibus admiſcendi, cum putredini adverſi ſint.

At ſi primis illis tentaminibus non ceſſerit febris, ad alia devenire oportet; curationem imprimis a juſculis ex lapatho, ex cichorio, ſoncho & endivia ſperare licet; exhibenda ergo ſunt ea quolibet mane ad uncias duodecim; at his addendum ſal quoddam aperiens & purgans, ut tartarus vitriolatus, arcanum duplicatum, ſal polychreſtum, aut febrifugum Sylvii; neceſſe eſt interim ut ipſorum opera leniter demittatur alvus, alias parum omnino, aut nil proficient.

Si hæc per certum tempus adhibeantur, ſpes eſt fore ut brevi curentur ægri; vigentibus enim

ſecre-

ſecretionibus & excretionibus, bile imprimis expurgata, & ea expurgatione reſtitutis hepati functionibus, facile ſe proripiet febrile venenum; ad illud enim expellendum præſto ſemper intenta adeſt natura; ſed facilius profecto expelletur, ſi poſt aſſumpta juſcula adhibeatur potus in eumdem ſcopum; atqui nil occurrit præſtantius apozemate ex radice graminis, ex cichorio, borragine & bugloſſo, unde tres aut quatuor hujus alteriuſve ſimilis potionis cyathi, debitis interjectis intervallis, exhibendi ſunt.

His ſimilibuſve remediis inſunt vires aperientes, diluentes & vere antifebriles; unde non ſolum quo jam diximus modo, ſed alia ratione exhiberi poſſunt; ſolo cichorii decocto febres a me fugatas memini, ſæpius vero ipſarum reliquias; non minus opis attulerunt ſales modo præſcripti; ſive aqua ſola, ſive decoctis herbarum ſolvantur, mira ſane aliquando præſtant; ut plurimum vero ſi ingeratur eorum drachma una ter quaterque matutinis horis, altera ſcilicet quaque hora, & ſi in ipſorum uſu pergant ægri per octo dies, aut quandiu neceſſe erit, fieri profecto non poteſt, niſi peculiaria adſint impedimenta, quin concilietur bili effluxus, quin tollantur obſtructiones, & cuncta denique in ſtatum naturalem reſtituantur.

Nec profecto jam memorata eſſe quæcunque adhiberi poſſint remedia exiſtimari velim; ad methodum, quam tradimus pertinent cremor tartari, magneſia Maſſilienſis, ſpiritus ſulphuris cum ſale abſinthii, ſuccus citri eidem inſtillatus aut ex a-

qua

qua hauſtus, teſtæ ovorum calcinatæ, &c; ſi autem hæc aliave, de quibus egimus, non ſucceſſerint, ad potentiora ſeu ſpecifica deveniendum; quæ tunc facilius & tutius vim ſuam exerent, unde non eſt quod nos pœniteat, ſi ea prius non adhibuerimus.

At febres autumnales difficilius omnino expugnantur; methodo tamen modo dicta eas feliciter, ipſarum imprimis initio, aggredi poſſumus; imo eſt ubi aliam ſequi viam non liceat; ſint eæ v. g. vel duplices tertianæ vel continuæ, in utriſque generalibus remediis tantummodo ſtatim locus eſt; ſanguis videlicet mitti debet, prout feret febrilis vis; interim cum bilis autumno turgeat, minus licet emeſim prætermittere; deinde vero purgationi incumbendum, & aperientibus denique & refrigerantibus curationem proſequi neceſſe eſt.

Ita autem fit, ut, ſi continuæ ſint febres & remittentes, tandem intermittant; ſi vero duplices ſint tertianæ, vel longiora paroxyſmis interjicientur intervalla, aut hi in tertium quemque diem recident, imo tandem evaneſcent abſque ullo alio auxilio: atqui ſi in febres graviſſimas tantum poſſint modo dicta remedia, num ipſis eadem inerit vis in tertianas ſimplices ſive quartanas? facilius profecto hæ ſe ſubducent, ſi methodum jam traditam ſequi ſuſtineant ægri, & ſi accurata imprimis obſervetur victus ratio; ut vero curationem magis certo aſſequi liceat, quædam in genere impenſius quam in vernalibus obſervanda commendabimus.

Pri-

Primum præceptum erit, ut, poſt venæ ſectionem & emeſim, refrigerantibus imprimis curationi ſternatur via; placuerunt hæc, & jure quidem, anteceſſoribus noſtris; in julapiorum quorundam uſu immorari ipſis mos erat; certum eſt autem quod tempeſtate autumnali, cum aduſta acriorve turget bilis, neceſſe ſit ejus vim refringere, & univerſum corpus ad temperiem naturalem reducere; ita ſæpe concidunt febres veluti per ſe ipſas, vel propriis brevi obſequuntur remediis; inde iterum patet quantum in eas poſſit diæta, aqueus potus, ſeri lactis uſus, citri ſuccus aquæ inſtillatus.

Verſabitur ſecundum præceptum circa ea, quibus promoveri poteſt bilis ſecretio & alvi induci laxitas; ita enim, ut plurimum ſaltem, brevi ſuccedit curatio; ſubolfecerat hoc *Riverius*, qui non alia via ſe ſubducere febrilem cauſam aſſerit; dum retinentur nempe acriores ſucci in hepate, nec expurgantur ſordibus alvi receſſus, fovetur & accenditur morbi fomes; quæ autem hunc tollere & delere poſſunt, deobſtruentia imprimis ſunt & hepati dicata, ut ſaponacea, tum amareſcentia, de quibus jam egimus; iis imbuendum eſt univerſum corpus, & ſi ſalibus acuantur laxantibus & digeſtivis, aperientur clauſtra omnia, atque excernentur excernenda; majori tantummodo ſtudio in horum remediorum uſum adverſus autumnales febres incumbere neceſſe eſt.

Tertium erit præceptum, ut, cum reſtitui videbuntur partium functiones, iterum moveatur emeſis; cum enim tunc natura ad curationem para-

parata ſit, & ad criſim ſe accingere ſoleat, ejus conatum & vires obſecundabit emetici ſuccuſſio; innuimus jam ut per ſe ipſam verſus ſeptimum circuitum judicetur febris; quanto autem facilius excedet, ſi remediis naturæ ductum ſequentibus oppugnetur; confirmantur hæc felici experientia, quæ ſæpius nos docuit invocatis ejuſmodi auxiliis reprimi, nec iterum reſurgere paroxyſmos.

Si autem nihilominus reluctans ejuſmodi remediis non obſequatur febris, ad ſpecifica confugiendum erit; ea autem potius tentare decet quam certa remedia, quæ variis Medicis in uſu ſunt; theriacam videlicet ſerotinis horis aſſumere & pilulas aloeticas cœnæ præmittere ſoliti ſunt; ea equidem quin quandoque profuerint inficiari non licet; at niſi febrilem cauſam certo attigerint, ingraveſcit ea, difficiliuſque deinde expugnari ſolet.

Adverſus quartanam imprimis hæc uſurpata ſunt remedia; hæc quidem autumno gravior præ aliis excedere renuit; mihi tamen certa liquet experientia in ejuſmodi febrim multum poſſe quæ jam præſcripſimus; miteſcit nimirum venæ ſectione, emeticis quandoque tollitur, purgantibus ſimiliter obſequi ſolet; in juſculorum uſu, ſi dominetur naſturtium & trifolium fibrinum, intercidit paroxyſmorum vis, & non raro penitus ſufflaminatur; coercentur iidem ſalibus digeſtivis aperientibus & laxantibus, & ſale imprimis ammoniaco; ipſa denique victus ratione multum de febrili impetu & pertinacia detractum vidi.

En methodum rationi & experientiæ conſentaneam, adverſus eam tamen quædam objici poſſunt, quibus obviam ire intereſt; incerta, inquient quidam, eſt hæc medendi ratio; huic obſiſtunt ſæpiſſime febres, quæ certis remediis tutò citoque tolli poſſent, quare igitur iis neglectis tædioſa inſtituitur curatio?

Multa profecto eam ſtatim præ aliis quibuscunque tentare ſapientem cogent Medicum; & primò quidem ſecure & nulla partium relicta labe febres curat modo dicta methodus, quod de aliis non ita dici poteſt: deinde vero ipſa, ſaltem initio, neceſſaria eſt ut ſpecificis remediis ſternatur via; & ſi ea deſint, vel ſi exoptatam non præſtent operam, in ſubſidium venit.

Quod vero maximi momenti eſt, obſtructiones præcavet, eaſdemque tollit; imo leucophlegmatiam, aut impendentem avertit hydropem, vel etiam curare poteſt.

Si quid tandem recidivæ occurrere poſſit maxime aperientium & laxantium uſus, in quo tota hæc verſatur methodus.

Num ergo medendi rationem, in multis febribus certam, in omnibus ſalubrem, in multis neceſſariam, aliorum remediorum vires intendentem, eorum noxis occurrentem, graviſſima mala præcaventem, ſolam denique aliquando quæ ſuperſit, prætermittere nefas eſſet?

CA-

CAPUT III.

De methodo, qua per ſudores curantur febres intermittentes.

EJuſmodi eſt febrile venenum, ut per cutaneos poros expelli poſſit; probatur id certis curationibus, tum ſpontaneis, tum arte inſtitutis: fuit ubi poſt paroxyſmos, impenſe ſudantes ægri febre omnino liberati ſint; imo quendam vidi, qui ſtragulis obrutus ſudorem elicere conatus eſt; excepit hoc tentamen exundatio univerſalis per quinque aut ſex horas, ipſaque febrile venenum expulit, illiuſque fomitem penitus exhauſit.

Notandum tamen, ſpontaneos ſudores febrim judicantes raro admodum occurrere; ii vero, qui variis remediis concitantur, vix ſuccedere poſſe videntur, niſi a natura paratæ ſint viæ; tunc quidem non mirum eſt ſi ars in ſubſidium veniat; ſed eam inutilem fore ſtatuere licet, niſi internis obſecundetur motibus; atqui omnino incertum, an natura ad ſudorem vergat, & utrum febrilis cauſa veluti in limine ſit & e fomite ſuo dimoveri poſſit.

Non minus arduum fortaſſe videbitur definire quonam febris tempore ſudoriferis incumbendum ſit; in frigore febrili conſtrictis partibus incaſſum urgeretur ſudor; hunc ſimiliter in æſtu febrili renuit irritatio & morbi vis; in declinatione

ne vero nihil prodeſt, naturalis licet copioſuſque, per cutim effluxus; reliquum ergo eſt, ut in apurexia ſola concitari poſſit; at iterum huc recidit eadem quæſtio, quid nimirum proſit ejuſmodi moliri evacuationem? quomodo & quando hanc tentare neceſſe ſit? obſervatione equidem in his omnibus inquirendis nos duci decet; quodam modo tamen ex rei ipſius natura prævidere licet quid ex hoc tentamine expectandum ſit.

Antequam frigore corripiantur ægri, ſemi hora v. g. ante inſultum, omnia aliquando abſque ulla functionum perturbatione procedunt; nullatenus videtur ægrum eſſe corpus veneno febrili infectum, nec quidquam ſenſu percipit quo de inſtanti moneatur febri; incandeſcat ergo oportet venenum hoc, veluti admoto igne, ut paroxyſmum concitet; nonne autem averti poteſt hæc excandeſcentia? aut quod eodem recidit, cum tunc iners ſit tale venenum, nonne impediri poteſt, ne in frigus aut febrim erumpat?

Non videtur profecto id rationi adverſum; imo veroſimile eſt, quod ſi concitetur ſudor ante frigoris invaſionem, id omnino poſſit averti; ſi autem ei occurratur, non fiet congeſtio ſive ſtagnatio in hepate, in auriculis cordis, aut in pulmone; præterea partim ſaltem difflari poſſe videtur febrile venenum; ſit v. g. conſtricta cutis, colligantur in ejus vaſculis & colatoriis liquida craſſiora; ſi his ita ſe habentibus, copioſiſſimus erumpat ſudor, tolletur obſtructio ex poris cutaneis; atqui idem fieri poterit in viſcerum textu, cum imminet paroxyſmus febrilis; poterit ergo

tolli

tolli aut ſaltem multum imminui febrilis cauſa.

At in Medicina incerta omnino eſt ratio, niſi innixa ſit experientiæ teſtimonio; imo & ipſa multa nos docet, quæ cum jam dictis non conſentire videntur; & primo quidem certum eſt, ut diximus, eos ſudores, qui paroxyſmos excipiunt, nequaquam febriles motus coercere; ſæviunt nihilominus diutiuſque excurrunt febres & aliquando intenſius urgent; qui vero ſub craticula, ut paroxyſmum averterent, ſudores extorquere tentarunt, aut eundem in ſcopum remediis calidioribus eos movere non reformidarunt; ii, inquam, febres ex inde exſurgere graviores experti ſunt.

Hinc tamen certa peti nequeunt argumenta adverſus quoſcunque ſudores; nam qui paroxyſmos excipiunt v. g. morboſi ſunt, aut vera morbi pars; quandoquidem ſuperſtite adhuc in viſceribus febrili æſtu concitantur; perinde ergo ſe res habet in intermittenti febre ac in febribus exanthematicis; ſudoribus ſæpe diffluunt ægri, nec iis levantur; in utroque ſcilicet caſu expurgantur aut effluunt liquidiora, quæ in corporis peripheriam per febris motum rejiciuntur; interea remanet in internis partibus morbi fomes.

Quod vero ſpectat ſudores nimio calore, aut remediorum calidiorum vi concitatos, ii febrium curationi omnino adverſi ſunt; acrior eſt v. g. in guajaco ſtimulus, æſtum ſummum & veluti ignem in viſceribus accendit; ita noxia aliquando eſt ejus ligni vis, ut ex ea nonnunquam icterum viderim exortum; quod autem ita perturbat viſcerum functiones, etiamſi copioſe ſudores elicere poſſit,

poſſit, remedium antifebrile eſſe nequit; ſit ergo *canon*, in febrium curatione non eſſe urgendum calorem ad certum gradum; nam intenditur neceſſario earum vis, ſi intendatur æſtus in viſceribus.

Magis ergo proficui eſſe poſſunt ii ſudores, qui non adverſa moventur natura; ſed opportune placideque diffluant oportet; ut autem ita cieantur, quædam obſervanda ſunt; primo, ne nimium intendatur calor; ſecundo, ut cum aperientibus miſceantur ſemper ſudorifera; tertio, ut in certis hepatis aut aliorum viſcerum læſionibus, sicuti in ſumma cachexia aut virium imbecillitate, non exhibeantur; quarto denique, ne turgente ſanguine, aut ſtomacho pravis ſuccis ſcatente, per ejuſmodi remedia tentetur curatio.

His obſervatis, & præmiſſis quantum fieri poterit, remediis generalibus, ſaluberrima erit & tutiſſima methodus, qua ad febrium intermittentium curationem præcipientur ſudorifera; ea tamen in ipſarum initiis, potius quam poſt longum earum decurſum, proficua erunt.

Eo pluris facienda methodus ejuſmodi quod Veterum authoritate confirmetur: *Sub expectatione proximæ acceſſionis, inquit* Celſus, *deducendus in balneum eſt æger, dandaque opera eſt, ut per tempus horroris in ſolio ſit....ſi nec balneum quidem profuit, ante acceſſionem allium edat, aut bibat calidam aquam cum pipere; ſi quidem ea quoque aſſumpta calorem movent, qui horrorem non admittit: deinde, antequam inhorreſcere poſſit, operiatur; fomentiſque protinus calidioribus totum*

corpus circumdare convenit; Eundem haud dubie in ſcopum, quidam ex antiquioribus Medicis, *Cleophantus*, in hoc genere morborum, multo ante acceſſionem, caput ægri multa calida aqua perfundebat.

Cum temporis lapſu & injuria exoleta immerito videretur methodus hæc, aliam quæ vices ejus gereret adduxit *Sydenhamus*; non ſcilicet externarum partium, ſed internarum ſolummodo balneum in uſum vocavit; liquidi nempe ſudoriferi multa copia perfundenda & diluenda exiſtimavit viſcera; nec dubitavit ſapientiſſimus vir quin ita elicito ſudore inſtanti febri occurreret; fatendum tamen eum hanc medendi rationem indicaſſe potius quam abſolutam tradidiſſe; aliis opus erat experimentis & præceptis, ut firmiori nixa fundamento ægris prodeſſet; patet id ex ejus enarratione, quam hic referre non pigebit.

Norat ſummus ille vir theriacam a multis ante paroxyſmum fuiſſe exhibitam, & quoſdam decocta chamæmeli, tum ſalviæ, ſimiliter uſurpaſſe; his exemplis ipſe permotus: *Ægro inquit, in lectulo compoſito & ſtragulis undequaque cooperto, ſudores provoco ſero lactis cereviſiato, cui ſalviæ folia incocta fuere, quatuor circiter horis ante paroxyſmi adventum; quibus jam obortis mox præcipio ut devoret ſcrupulos duos pilularum cochiarum majorum ſolutarum in uncia una ſequentis miſturæ; Recipe Aquæ vitæ, libram unam; Theriacæ Andromachi, uncias tres; croci Anglici, drachmam unam; miſce, ſtent ſimul pro uſu; hæc ubi conſumpſerit, in ſudoribus continuo eliciendis perſiſtat,*

ſiſtat, donec elapſæ fuerint aliquot horæ ab illo tempore quo paroxyſmus ingruere debuerat.

En profecto singularem methodum, quam, licet tanto magiſtro duce, nemo ſapiens experiri tentaret; quis draſticum purgans ſudanti exhibere ausit? quis illud cum aqua vitæ & cum theriaca conjunxerit? quem denique in ſcopum tam aliena a ſeipsis & ſecum pugnantia miſcuerit? hæc autem documento eſſe debent in cujuſquam verba jurare nefas eſſe; non licet id imprimis in Medicina, quæ ingenii humani vires exſuperat: at condonandum ſummis in arte viris, si in primis tentaminibus quid humani paſſi fuerint.

CAPUT IV.

Quomodo exhibenda ſint ſudorifera adverſus febres.

HIs præfixis in genere legibus, peculiaria tradere præcepta vix opus videretur; ſed ne uſpiam errori relinquatur locus, tempus his remediis aptum definiemus, dein vero quæ ſeligenda sint indicabimus, methodum denique in iis exhibendis ſervandam trademus; poſtquam autem his perfuncti erimus, quouſque hac curandi ratione inniti liceat oſtendemus.

Quod tempus ſpectat, id quidem ab hac medendi methodo alienum eſt, in quod acceſſio incidit; ea ſibi permittenda eſt, imo cum deſierit,

concedenda eſt ægro quies, ut febrili motu exagitatum & ſudore profuſo debilitatum reficiatur corpus ; ſed quamprimum fieri poterit , ad ſudoriferum devenire præſtat ; experientia autem ſæpius edoctus ſum ſatis eſſe ad præcavendum frigus , ſi tres quatuorve horas ante paroxyſmi adventum exhiberetur ejuſmodi medicamentum ; ſerius autem ingeſtum plane inutile aut parum efficax eſſet ; non poſſent ſcilicet eo ſatis imbui humores , & iis ad cutaneos poros non ſterneretur via .

Quæ tutius aut certius ſcopum hunc attingere mihi viſa fuere, ſunt quædam penetranti lenique vi prædita medicamenta ; inter ea primum locum tenent ſarſaparilla , bardana , dulcamara , veronica , quinque radices aperientes ; dubium profecto non eſt quin alia idem præſtarent; ſed hic tantummodo quæ expertus ſum tradere mens eſt , non equidem eas omnes herbas ſimul præſcribendas exiſtimo ; unam aut alteram aliquando ex iis adhibui ſummo cum emolumento , idque in multis ægris; unicum tantum & memorabile referam exemplum.

Octogenarius ſenex duos expertus erat quartanæ paroxyſmos ; tanta fuerat frigoris vis , ut certa impenderet mors , si tertio prioribus simili inſultu eſſet laceſſitus ; in tanto igitur diſcrimine aliis omnibus ſudoriferum medicamentum antepoſui ; exhibui ſcilicet ſarſæparillæ & bardanæ decoctum cum ſale ammoniaco ; his autem frigus cum paroxyſmo ſublatum eſt , nec remansit ullum febris veſtigium ; poſſet fortaſſe ſali ammo-

niaco

niaco tribui hæc curatio, ſed abſque eo res mihi alias æque ſucceſſit.

At ut certo proficiat hæc curandi ratio, quædam occurrunt obſervanda; & primo quidem non parce, ſed affatim hauriendum decoctum ſudoriferum, exhiberi ſcilicet debent quinque aut ſex libræ, vel ſaltem quatuor ante paroxyſmum; ea tamen lege, ut verſus ipſi præfixum tempus lecto ſe componat æger; his ita præmiſſis facilius elicietur ſudor; cum autem madore perfundi incipit corpus, ab incœpto non eſt desiſtendum, ſed urgendus potus diapnoicus & leniter ejus promovendus effectus, donec plures horæ præterlapſæ sint.

Licet tamen tuta videatur hæc ſudoriferorum adminiſtratio, ne nimius ea excitaretur calor aliquando veritus ſum; ad eum ergo avertendum ſtatim poſt febris remiſſionem infuſum calidum borraginis & bugloſſi præſcribere non inutile mihi videtur; temperatior adhuc fiet ejus potus vis, si levis addatur nitri dosis.

Hoc quidem adhibito potu, qui & ipſe diapnoicus eſt, calidiora, quæ primo præſcripsimus, minus erunt metuenda; eorum tamen & quorundam imprimis parca sit dosis oportet, in ſarſaparilla v. g. eſt ſtimulus, qui noxius eſſe poſſet; noceret autem maxime in iis febribus, in quibus ſanguis validiori fertur per vaſa ſua impetu, & intensior eſt viſcerum æſtus; in ea motuum animalium perturbatione lenioribus tantum ſudoriferis datur locus; ſufficient ea, ut ſæpius obſervavi, si rite fuerint adminiſtrata.

Quod mihi eam ſudoris concitandi rationem comprobavit, eſt vulgare, ideoque pluris faciendum medicamentum, ad quod experiundo deveni; cum de lenioribus cogitarem ſudoriferis, calidæ aquæ vires tentare volui; ejus nempe magnam copiam aliquot ante paroxyſmum horis hauriendam præcripsi; quod vero ſtatim non exſpectaſſem, veluti incantamento ſufflaminatum eſt frigus; hoc quidem non una vice, ſed ſæpius expertus ſum, nec ullum mihi dubium reliquerunt repetita multoties experimenta.

Quidquid autem de iis ſtatui poſſit, dubium non eſt, quin ea methodus, quæ ſudoriferis febrem abigit, sit in variis ægris omnino neceſſaria; ad eam devenire imprimis oportet, si intenſe urgeat frigus, ex eoque periculum immineat; non alia ratione huic certo licet occurrere; an vero febrim perfecte curet hæc methodus, ita ut aliis ad perficiendam curationem eamve firmandam opus non sit, id profecto non ausim aſſerere; plures equidem vidi qui ſudoriferis reſtituti ſunt; ſed ejuſmodi remediis poteſt aliquando impediri veneni febrilis effectus, dum id interea in corporis latebris hæret, taciteque per omnes circumfertur partes; non poſſunt ergo in tuto videri qui febre intermittenti liberati ſunt, nisi ſpecificis penitus ſublatum fuerit ejus venenum; id ſaltem in genere verum eſt.

Ne interea abſque ratione hæc videantur dicta, exemplum referam, quo apprime confirmari poteſt cujuſdam recidivæ metus. Vir militiæ fractus laboribus in febrem incidit intermittentem, quæ

variis incaſſum fuit impugnata remediis; eorum tandem pertæſus æger ſudoriferam methodum experiri voluit; cum autem calidam aquam affatim in lecto hauſiſſet ante paroxyſmi adventum, eum quidem effugit, ſed ſucceſſit corporis gravitas & laſſitudo; in genua & brachia videbatur dejectum febrile venenum; quod vero mirum, reviviſcente poſt dies quindecim febre, priſtina rediit alacritas, & poſt aliquot paroxyſmos ſponte evanuerunt omnia morbi veſtigia.

CAPUT V.

De methodo curandi febres per corticem Peruvianum.

QUamvis ergo multum valeat ea methodus, qua per ſudoris ſpiracula difflatur febrile venenum: nil decedere debet de ea quæ cortice Peruviano idem præſtat; hoc ineſt in utraque commodi quod altera alteri in ſubſidium veniat; ſudores critici viam aperiunt, & quod iis incœptum aut peractum perficit aut firmat cortex; ſed in eo adminiſtrando cautione opus eſt; ut vero ejus uſus variis temperamentis variiſque febribus magis eſſet accommodatus, variæ excogitatæ ſunt præparationes, quas noſſe apprime convenit.

Et primo quidem, cum in pulverem redigitur, varia proſtant obſervanda; dum trituratione enim

enim ſubjicitur, primo excuti ſolet externum integumentum, quod eſt epidermidis inſtar, & cui nil ferme niſi terreum inerſque ineſſe poteſt; deinde vero decidit intima pellicula, cujus fragilis tenuiſque ſubſtantia; ſupereſt denique medius cortex durior & ponderoſior, qui ultimo fatiſcit in pulverem, & cui ſumma ineſt vis; quæ ergo tritu ſtatim ſecedunt abjicienda ſunt; & retinenda quæ ſuperſunt poſt primum attritum, utpote ſola, quæ viribus pollent febrifugis.

Juxta quoſdam cavendum, ne in tenuiſſimum alcool reducatur pulvis; tritu enim, inquiunt, fit vegetabilium diacriſis & virium jactura: hoc quidem quin in multis ita ſe habeat negari nequit, in iiſque imprimis, quæ volatili donantur ſubſtantia; at ſummo pollet amarore corticis Peruviani tenuiſſimus pulvis, nec de ejus efficacia quidquam per attritum deceſſiſſe videtur.

Pulvis hic multum materiæ lignoſæ & terreæ continet; neceſſe eſt ergo ut ſubſtantia hæc indigeſta & indigeſtibilis, ſtomacho, ſi tenerior fuerit ejus textus & acutiori ſenſu præditus, ſæpe adverſa ſit; imo gravior ſaltem cuicunque aſſumenti ſemper erit, ſi copioſius ingeratur; hujus autem incommodi avertendi cauſa adhibitum eſt decoctum; non dubium profecto eſt, quin aqua bullienti extrahatur, quod gummoſæ & ſalinæ naturæ eſt; ſed præterea reſina ſimul aut ſaltem magna ejus pars ſecedit, magna inquam, non omnis; nam ſi ſæpius decoquatur materia ſuperſtes, elicietur aliquid febrifugam vim retinens.

Hujus medicamenti extractio quibuſdam juvari po-

poteſt, ſalibus v. g. alkalinis aut vegetabilibus; his decocto turbido & ingrate flaveſcenti color inducitur coccineus, iſque ſaturatus; ſed cum multum decocti hujus cujuſcunque aſſumendum ſit ad curandam febrim, renuunt ægri remediorum impatientes, ipſeque repugnat ſæpe ventriculus; ideo cortices citri, cinnamomum, ſyrupi varii aliquando addi ſolent; hoc habet tamen commodi decoctum hoc, ut nuſquam aliquid in os regurgitet & medicamenti ſaporem referat.

Ne tantam interea liquidi ingrati copiam ingerere cogerentur ægri, extractum corticis concinnarunt Medici; & primo quidem quod ex decocto elicitur uſurparunt; ſed longe præſtantius eſt quod ex aqua ſimplici, eaque frigida longo paratur attritu; hoc tantum præcavendum, ne empyreuma poſt evaporationem redoleat, quod ſane incommodum effugiet qui eam balneo maris committet; continet autem extractum id & ſal & gummi atque ipſam reſinam; ſi quid habet incommodi, hoc maxime, quod in magma viſcoſum, ſi aqua diluitur, abeat, & in globulos aliquando in ſtomacho compingatur; omnes inſuper corticis vires poſſidet; febres enim perfecte curat, hoc unum ei exprobrari poteſt, quod calorem nimium aliquando concitet, non tantum tamen atque extractum igne confectum.

Quo vero melius elici poſſet vis febrifuga, ad aliud menſtruum, magiſque proprium confugerunt Medici; vino ſcilicet generoſo infunditur cortex Peruvianus per horas viginti quatuor, vel pulvis ejus in menſtrui illius cyatho dilutus exhibetur,

ut in ipſo ſtomacho fiat extrahendorum extractio; poſtquam autem peracta eſt, ſive in primarum viarum receptaculis, ſive præmiſſa extra eas infuſione, penetrantiſſimum, & quaſi ſaponaceum habetur remedium; imo de vini aut ſpiritus ejus vi multum decedit, admixtis febrifugi hujus amari gummoſis reſinoſiſque principiis.

Quod autem illius remedii ita præparati vires ſpectat, inficiari nequit quin multis profuerit; imo experientia edoctus teſtari poſſum in eo ſummam eſſe energiam; ſed plura præſtat aliquando infuſum vinoſum, cui additus fuerit vini ſpiritus; unde non immerito ſtatui poſſe videtur, latere imprimis in reſina kinækinæ vires, ea enim melius educitur ſpirituoſiori menſtruo; quidquid autem eorum ſit, tale remedium, quod calidius acriuſque eſt, non innoxium aliquando eſſe poteſt.

Cum interea variis his quibuſcunque modis exhibitus cortex non ſatis adverſus certas febres valere videretur, multa quæ ſuppetias ferrent excogitarunt Medici; alii aromata, uti ſerpentariam virginianam, cum eo miſcuerunt, ut debiliorem ejus vim tanquam fermento vel admoto ſtimulo excitarent; alii alia, amara imprimis huic addiderunt, ut conjunctas vires ſimul in febrim exererent; multi aperientia ſimul uſurparunt, ut in intimos partium receſſus pateret via: non pauci denique eundem aliumve in ſcopum ſales penetranti vi præditos in auxilium vocarunt; quidam ſcilicet ſal abſinthii, nonnulli ſal ammoniacum, quod ipſum, ut diximus, adverſus febrium intermittentium contumaciam plurimum præſtat.

De

De his omnibus aliisque multis agere mens non est; duo tamen ex iis aut tria commemorabo, quæ multum prodesse posse certum est: & primo quidem centaurium minus, ut diximus, si in certarum febrium contumacia cortici Peruviano addatur, efficacissimum esse potest medicamentum; sed non minus profuisse constat pulverem viperinum cum eo cortice similiter exhibitum; iis enim commixtis febre liberati sunt innumeri ægri, alia omnia incassum experti.

Laudatur, nec quidem absque ratione, medicamentum magno emptum pretio, & quod eorum, quæ jam memoravimus, vires continet; recipit hoc corticis Peruviani drachmas duas, millepedum pulveratorum, centaurii minoris etiam pulverati, ana, drachmam unam; infundi solent hæc in vini generosi unciis octo, & ægro in lectum composito exhiberi; alias vero pulveres cum melle in electuarii formam miscentur.

At turgent, ut plurimum, primæ viæ pravis humoribus, qui febrem alere possunt; ideo purgantia imprimis cortici addita sunt, purgat is quidem multos, sed quod ipsi peculiare est, aliorum purgantium vires intendit; unde levis eorum dosis huic febrifugo miscenda; alii autem cum eo pulverato similiter in pulverem redactum rhabarbarum, alii iridem Florentinam, nonnulli denique cum ea simul agaricum usurpant: erat hoc arcanum in quodam Nosocomio, idque satis certum; ipse vero innumeris rusticis cum fructu id exhibitum novi; cavendum interim a calore, qui hoc remedio concitatur, inest enim agarico vis irritans,

tans, unde abſtineant ab eo oportet quibus tenerior eſt viſcerum textus.

Uſurpantur interea a nonnullis & miſcentur cum cortice Peruviano purgantia alia acriora, ut pulvis cornachini, aut jalappa; nec ipſa quidem experientia comprobari aliquando hanc miſtionem negari poteſt; aptius tamen cum hoc febrifugo adhibetur arcanum duplicatum aut tartarus vitriolatus, ea ſcilicet doſi, quæ ad alvi laxitatem inducendam neceſſaria eſt; ego vero, quod eodem recidit, pulverem Stahlii temperantem cum extracto aquoſo vel cum ipſo corticis pulvere miſcere ſoleo.

Ut plurimum tamen familiare eſt mihi decoctum febrifugum & purgans ita concinnatum: recipitur corticis craſſe triti uncia una, vel uncia una cum ſemiſſe, coquitur quantum ſatis in aqua ad libras duas; adduntur ſub finem folliculorum ſennæ drachma dimidia aut integra, foliorum borraginis & bugloſſi, ana, manipulus ſemi; colatura edulcoratur ſyrupi violarum unciis duabus; ſæpius interim non ſennam, ſed ſal aliquod aperiens & purgans adhibere mihi mos eſt, ſal ebſamenſe v. g. vel ſal polychreſtum rupellenſe ad drachmas quatuor; ita autem habetur remedium quod certo febrem tollit; refrigerantibus nimirum & aperientibus conſtat, & omnibus reſpondet indicationibus.

Id interea non ita propoſitum velim cenſeri, ut perpetuo ita præſcribendum ſit; apozematis tantummodo febrifugi & purgantis exemplum adducere mens eſt; alia ſunt, præter ſennam, quæ

in

in uſum vocari poſſint, purgantia; cum ipſis varii ſales conjungi, alterius generis herbæ uſurpari, diverſæ denique eorum omnium doſes adhiberi poſſunt; quilibet ferme æger peculiare aliquid ſibi vindicat; nec niſi Empiricis eodem ſemper licet uti remedio.

CAPUT VI.

De corticis Peruviani non innoxiis effectibus.

SED his omnibus cortici Peruviano admixtis, infringi potius quam augeri ejus vires quibuſdam viſæ ſunt; eo, inquiunt, & ſine ullo aliorum remediorum auxilio, curati fuerunt, & curantur innumeri; ſunt loca, in quibus endemiæ ſint febres, plerique tamen iis correpti, vix aliud quidpiam tentare ſolent niſi ſimplicem hujus corticis uſum; nec profecto, ſi famæ fides ſit, alio opus fuit auxilio primis hujus febrifugi detecti temporibus; tunc ſcilicet melioris notæ erat, nec aliis per fraudem admixtum; imo & hodie juxta nonnullos, ſi accurate ſelectum ſit, operam certam & levi quidem doſi præſtare ſolet, idque nullis aliis præmiſſis aut adjunctis.

Sed iis non ita licet confidere exemplis, ut perpetua eſſe credantur; noxius ſæpe eſſe poteſt cortex Peruvianus ſi ita adhibeatur; ut autem clarius perſpici poſſit, quænam cautelæ in ejus uſu adhibendæ ſint, ea omnia, quæ huic febrifugo ex-

exprobantur & exprobari poſſunt recenſebimus: ſunt in eo, ut in omnibus aliis, quibus vivimus & movemur, mixta bonis mala, aut malorum irritamenta; hæc præcavere & illis uti ſapientis eſt Medici.

Amarum eſt, adſtringens, tonicum, & aromaticum medicamentum cortex Peruvianus; certis ideo in caſibus aut temperamentis, ſi exhibeatur, calorem accendit, ſiccitatem in univerſa cute efficit, ſtomachum lædit, dolores in eo excitat, pulmonem ſimul attingit, & inde non raro ſanguinis ſputum.

Sed & alias partes non minus afficere poteſt remedium hoc; eſt ubi cum febrem ſuſtulit remaneant dolores in hypochondriis ſuperſtites; imo ipſum lienem non raro aggreditur; diximus jam ut in molem aſſurgat & in putrilaginem inclinet pars hæc, cujus adeo eſt incertus uſus; hoc autem ut febri, ita & cortici Peruviano ſæpe tribuendum, ut certa mihi conſtat experientia.

Id inſuper vitii habere creditur febrifugum hoc, quod nequaquam ubique certum & infallibile ſit remedium; febres etenim multæ eo non curantur, licet revera intermittentes ſint; cum vero ſuccedere viſum eſt, non raro contigit, ut paroxyſmos tantum per aliquod tempus coerceret: imo non pauci ſunt ægri, qui, ob protractum ejus uſum, febre vaga confecti vitam miſeram per autumnum & per hiemem trahunt; ideo tantopere laudatus cortex, ut palliativum tantummodo auxilium habitus eſt, & etiamnum apud quoſdam habetur.

Sed

Sed quod gravius eſt, ſæpiſſime eo exhibito remanent quæ de veneno latenti diximus; multos videre eſt, qui poſt abactam febrim facie lurida, tumida, flaveſcente, alvo in molem elata, tibiis, aliiſque partibus leucophlegmatia turgentibus langueant; morbum tantummodo commutaſſe videntur, & adſcititium longe eſſe periculoſiorem; non pauci enim ſunt qui ex eo vix emergant, aut ſaltem non niſi longo temporis tractu.

Occurrunt alii, qui ſubacta febri anxietates patiantur iis temporibus, quibus inſurgere ſolebat paroxyſmus; aliquando vero ipſi in ſomnum gravem aut ſtuporem eodem tempore incidunt; nonnulli converſa alias in partes morbi cauſa, diarrhœa aut dyſenteria tentantur; exſuſcitantur quandoque paroxyſmorum loco ſpaſmi hac & illac vagantes; inſurgunt ſimul dolores, membra, alvum, pectus & caput ipſum varie excruciantes.

Prodit ex ipſa febrium cura aliud argumentum adverſus incautum corticis Peruviani uſum; cum nimirum paroxyſmorum febrilium vicem veluti gerant hæc ſymptomata, febris redintegratio, ut diximus, tunc ad ea fuganda neceſſaria aliquando eſt; obſervatum fuit enim ea iterum incandeſcente hæc omnia ſufflaminari, iiſque ſubactis eam deſinere; id cum animadvertiſſent nonnulli, quoddam remedium non antifebrile, ſed *febrificum*, ſi ita loqui liceat, quæſierunt; illudque in ſpiritu ſalis ammoniaci ſe reperiſſe aſſerunt.

Inde autem patet tolli aliquando a cortice, quod veneni febrilis remedium ſit, ideoque tunc noxium eſſe hoc febrifugum; melius forte ſe habuiſ-

buiſſent ægri, ſi vires febri additæ eſſent, nec dubium ſaltem quin felicius ſæpe res ſucceſſiſſet, ſi nil præter diluentia aut ipſam aquam eſſet exhibitum.

Ex illis autem id ſaltem juxta quoſdam deduci poſſe videtur, veneni febrilis potius effectum cohiberi a cortice Peruviano, quam ipſum deleri venenum; hoc etenim veluti integrum & intactum evaneſcentibus paroxyſmis remanere poteſt; idem probant ſymptomata, quæ eo exhibito ſæpe evaneſcunt; eo v. g. infringitur frigoris vis, tollitur horror & rigor, imo tremores inſolitos eodem profligatos eſſe, remanente tamen febrili motu, obſervatum eſt.

Non mirum ergo ſi etiamnum a quibuſdam ut verum febris antidotum non habeatur remedium hoc; nam refrænari paroxyſmos, quod & aliis remediis adſtringentibus & amaris fieri poteſt, non ſatis eſt; neceſſe videtur inſuper ut mutetur & expellatur febrile venenum; hoc autem fit vel motu naturæ, vel paroxyſmorum vi, vel aliis auxiliis, quibus non ineſt vera vis febrifuga; cum tamen, ut diximus, alias obtineat vires cortex Peruvianus, præter eas, quæ paroxyſmos abigunt, poterit is, ſi ipſas exerat, partium ſimul functiones reſtituere, & quæ heterogenea ſunt aut noxia ſanguini immixta expellere; hæc neceſſario ex obſervationibus practicis ſequi negari nequit.

Sed ſi cortice Peruviano poſſint averti paroxyſmi, poſſunt ejus imprudenti uſu in continuas aut duplices tertianas, vel quartanas mutari febres intermittentes; ſi vero non talis fiat commu-

mutatio, incandeſcit ſæpe febrilis calor, graviora fiunt alia omnia ſymptomata, eorumque cauſa altiores agit radices, ideoque difficilius remediis obſequitur; quod vero majoris eſt momenti, ſummum inde atque urgens præter exſpectationem impendet aliquando diſcrimen.

Memoratur apud *Sydenhamum*, Senatorem quendam, tum Militiæ Præfectum, & Pharmacopolam, aſſumpto cortice Peruviano, fato brevi functos eſſe; exhibitus ſcilicet fuerat ante paroxyſmum, unde vel intenſior fuerat febris, vel quod veroſimilius, oppreſſa febri, venenum febrile in partes vitales dejectum earum functiones deleteria vi ſuſtulit; inde cita mors, quam forte non intuliſſent paroxyſmi etiam intenſiores.

Ex tot denique & tantis, quæ de Kinæ-kinæ viribus obſervata ſunt, ſequitur non mirum eſſe, ſi curatis hoc remedio febribus, ex eodem prognatas obſtructiones memoraverint tot Medici; poteſt quidem per ſe ut calidum & adſtringens liquidis per partium anfractus moram injicere; hoc eo facilius erit, ſi nimio æſtu incanduerint viſcera, aut ſi pravis turgeant ſuccis, qui febrim augeant, vel ſtimulum ei addant.

Sed ut ad obſtructiones cortici Peruviano toties exprobratas revertamur, cum toties morbi fomitem in internis partibus relinquat, non mirum profecto ſi in eas detruſum venenum vaſa obturare poſſit, variiſque in receſſibus congeſtos, aut concreſcentes retinere ſuccos; ita poſſunt ſingulis partibus vim inferre ejus veneni reliquiæ, ut non dubitarim quin mania illa, quam obſervavit

vavit *Sydenhamus* poſt febrem quartanam, ex reliquiis illis in caput adactis pendeat; ſi autem maniam & tanta alia poſſint eæ inferre, facilis videbitur, imo aliquando inevitabilis, vaſculorum minimorum glandularumque obſtructio.

Nimia imprimis corticis Peruviani pulverati copia nocere admodum poterit; hominem vidi, qui cum febrifugi hujus drachmas decem aſſumpſiſſet, male omnino habuit; febris quidem ſe proripuit, ſed ſummi, iique pertinaces in hypochondriis dolores exorti ſunt: alium, qui ſimili methodo curatus fuerat, pejora expertum eſſe novi; incidit is in lienis tumorem, eoque in putrilaginem abeunte, e medio ſublatus eſt: tertius denique, ſtatim atque paroxyſmi repreſſi ſunt, acerrimo renum dolore correptus eſt; inde ſanguinis mictus, urinæ purulentæ, calculi & mors tandem, cum juvenilis ætas longiorem ſponderet vitam: multa alia memorare poſſem, quæ cortici Peruviano imprudenter adhibito tribui poſſunt; non poſt longiorem aut graviorem febrim, ſed ſtatim poſt ejuſmodi remedii uſum hæc contigiſſe tunc obſervavi.

Confirmantur hæc omnia iis, quæ ſumma cum diligentia annotavit *Albertinus*; obſervatum ab eo fuerat omnes ſymptomaticas evacuationes præter diarrhœam a cortice Peruviano ſupprimi; inde autem non leve inſtare diſcrimen exiſtimabat, niſi brevi aut intra aliquot dies ſibi per ſolita colatoria viam facerent quæ repreſſa eſſent effluvia; aut quod eodem recidit, niſi quam tantopere neceſſariam duximus natura moliretur criſim; tanti

hæc

hæc ſunt momenti, ut ſapientiſſimi viri, qui *Malpighii* doctrina inſtructus eam unice ad praxim illuſtrandam contulit & convertit, obſervationes hic referre operæ pretium crediderim.

In opinionis ſuæ argumentum duos refert caſus, qui ſibi experienti occurrerunt; quidam febre intermittenti ſimplici laborabat, alter vero duplici tertiana; in illo urinæ copioſius profluebant, in hoc ſudor colliquativus humores exhauriebat liquidiores; exhibito autem cortice Peruviano paroxyſmi quidem repreſſi ſunt, at in altero ex his ægris dolor acutus brachium, in alio autem hepatis regionem invaſit; non ante evanuit is dolor, quam evacuationibus criticis expurgatum eſt corpus.

Idem impendet periculum ex corticis uſu, ſi evacuationes aut excretiones ante febrim, aut ejus vi cohibitæ fuerint. Juvenis ſcabie laborabat, & ſimul ſalivæ profluvio; at accedente febri evanuit ſcabies, & deinde ſe proripuit ſalivatio; nil profecto impedire videbatur quin vocaretur in auxilium febrifugum Peruvianum, imo & eventu comprobari viſum eſt, nam paroxyſmi ſiluerunt; ſed tunc prodiit parotis cum inflammatione, dolore & febre acuta; ægro interim opem tulit natura, quæ per ſudoris & urinarum vias, tum craſſioribus ſputis mali exhauſit fomitem; omnia in ſtatum naturalem poſt dies quinque reſtituta erant.

Sacerdos ſexagenarius fiſtula ani ichorem fundentis laborabat, eique pedes dudum tumentes erant; is tandem in tertianam duplicem ſub æſtivum ſolſtitium incidit, tunc autem exaruit fiſtu-

la & pedum œdema evanuit; ut febri igitur, tanquam præcipuo malo, afferretur medela, ad kinam-kinam deventum eſt; protinus quidem deſierunt acceſſiones; ſed pulſus a naturali ſtatu aberat; æger ſomnolentus, ingenio tardior, imo & hebes viſus eſt, tandem capitis affectus graviores evaſere, febris nova adorta eſt, & paralyſis in limine videbatur; ideo intermiſſus febrifugi uſus, & aliis remediis res tranſacta eſt.

Vir annos tres & ſexaginta natus quotannis inſueto cutis rubori, prurigini & bullulis inde ſe efferentibus obnoxius erat; is cum inſtaret tempus ejus excretionis, jamque ipſius indicia apparerent, febre tertiana correptus eſt; tunc in auxilium vocatus eſt cortex Peruvianus, & eo quinta acceſſio ſublata eſt; at cum omnia in melius verti viderentur, ipſa hora, qua paroxyſmus ſextus exſpectari potuiſſet, apoplexia oppreſſus æger vita functus eſt.

Cum podagram petrolei inunctione abegiſſet quidam, in febrem duplicem tertianam incidit; acceſſiones certorum remediorum opera obſcuratæ ſunt, inquit *Albertinus*, & ne quid pejus accideret cortex Peruvianus adhiberi cœpit; febris remiſit quidem, ſed poſtea intumuit abdomen, ſævierunt dolores vagi, interceſſit gravedo, & tandem febrilis vis gravior fieri cœpit atque atrocior; tunc febrifugi modo dicti dimiſſus uſus, & purgantibus ſolis liberatus æger.

Mulier ſcabiem abegit inunctione ſulphurea, & dein in febrem duplicem tertianam incidit; adhibitum eſt febrifugum Peruvianum, ejuſque bene-

ficio

ficio per aliquot dies reſtitui viſa eſt ægra, & tamen ſine criſi, ut inquit *Albertinus*; febris ergo gravior exorta eſt cum oculorum tanta inflammatione, ut alterum amiſerit, alius vero immedicabili vitio laborarit.

Ex his autem quod enixe practicorum ulteriori committendum obſervationi & commendandum; ex his, inquam, ſequitur ſummam rationem eſſe habendam excretionum, quæ ſuppreſſæ fuerint; noxios humores in partes internas a cortice Peruviano detrudi poſſe; eis in ejus uſu aperiendam eſſe viam qua excernantur; nulla magis ejuſmodi remedio accommodata eſſe colatoria quam ea, quæ in inteſtinorum cavum ſe exonerant; ideoque iis eſſe deducendum quod noxium eſſe poteſt reliquo corpori; ſed de his alias erit dicendi locus.

CAPUT VII.

Quænam cautelæ adverſus noxios corticis Peruviani effectus adhibendæ ſint.

EX his ſequitur non ejuſmodi eſſe remedium hoc, ut ſtatim in quacunque febre exhiberi poſſit: immota & certa manent interea, quæ de ejus diximus viribus; & primo quidem raro omnino occurrunt, qui ipſi exprobrantur lethales eventus; deinde vero eorum qui id uſurparunt imprudentiæ tribuenda ſunt omnia infauſta,

quæ per vulgi aut quorundam Medicorum ora adverſus hoc remedium circumferuntur; nam ſi ſervatis ſervandis id aſſumant ægri, hæc nuſquam timenda ſunt; ideo tantum de iis egimus, ne tam eximiæ panaceæ uſus in abuſum verteretur; eidem autem propoſito inſiſtentes, cautelas in hoc uſu adhibendas trademus.

Et primo quidem naturam ſequi ducem in febrium intermittentium curatione operæ pretium eſt; atqui eæ autumno accedente aut incipiente inſurgunt, eoque procedente veluti fixiores evadunt, fixiſſimæ vero per hiemem; ſed cum calore æſtivo exſuſcitetur vaſorum & ſanguinis vis, evaneſcit ſponte febrile venenum; tunc ſcilicet rarefiunt partes & laxantur cutis ſpiracula; ut autem curentur febres, eadem præſtare debent remedia, aut quod eodem recidit, æſtiva temperies eſt corpori concilianda; calor ergo internus molliter fovendus, & tranſpiratio promovenda; ita conducit cutanea hæc evacuatio, ut ſi exhibito cortice leni longoque madore perfundatur corpus, curatio certa ſit; e contra vero eam ſperare non licet, ſi adfuerit cutis ſiccitas.

Sed quod rei caput eſt, & omnia complectitur neceſſaria in corticis Peruviani uſu, non poſſunt eo curari febres, niſi vigeant aut reſtituantur partium internarum functiones; quoties inerit viſceribus labes, toties ferme incaſſum adhibebitur remedium hoc; ſi forte eo devicta per aliquod tempus deliteſcat febrilis vis, brevi ſe iterum prodit, qualis antea fuerat; e contra vero internis organis officio ſuo fungentibus, eadem

facile

facile ſe propipiet ; nec vero tunc cortici quidquam ferme addere neceſſe erit ; ſatis eſt ut eo ſolo ſanguis imbuatur ; ita vigent haud dubie omnium partium munia , cum , nullis aliis præmiſſis medicamentis , illius remedii ſolis viribus curantur ægri .

Impenſe igitur enitendum , ne in viſceribus ſtagnet ſanguis ; ideoque imprimis , quam commendavimus venæ ſectio , adeo neceſſaria eſt ; at non minus in promovenda bilis ſecretione inſtendum ; ea enim vigente facilius mali cauſam attingent remedia ; mitiora enim erunt omnia ſympromata , non tanta erit frigoris febrilis vis , non tantus in paroxyſmis æſtus , non adeo profusi ſudores ægros exhaurient , non ita denique acres fient cæteri humores ; eo autem minus hæc erunt metuenda , ſi abſit cutis ſiccitas , & ideo tranſpirationis habeatur ratio .

At ſtomachi imprimis functionibus proſpiciendum ; ſi enim male ſe habeat , aut ſolummodo cibos averſetur , non licet tunc a cortice Peruviano , quamvis huic parti dicato , febris ſperare curationem ; imo ejuſmodi adhibito remedio vires novas acquiret morbus hic ; tunc enim ut plurimum inuritur ventriculo doloris & ardoris ſenſus , qui pulmonem ipſum , uti diximus , attingere ſolet ; ſi autem e contra appetitus vigeat , ſignum adeſt certiſſimum , fore ut brevi reſtituatur æger ; pauci ſaltem admodum occurrunt , aut fere nulli , qui cibos acriter appetentes , a febri non liberentur .

Tertia pars , ad cujus functiones reſpiciendum ,

eſt inteſtinalis tubus; ſi enim non ſatis lubrica ſit hæc via, erit omnino difficilior, ut diximus, febrium curatio; imo eas radicitus tollere fruſtra ut plurimum tentabimus, niſi alvi ſervetur laxitas; cortici ergo Peruviano ſemper addendum aliquod lene purgans, quo ea promoveri poſſit; lene, inquam, & periſtalticam vim ſolummodo exſuſcitans; nam ſi inteſtinorum tunicis admoveretur acrior ſtimulus, poſſent concitari turbæ, quæ febrilem æſtum accenderent; ſi vero nimia eſſet evacuatio, diffluere poſſet cum fæcibus alvinis febrifugi vis.

Nec minus profecto renum functionibus, quamvis febriles cauſæ non ita patere videantur, conſulendum eſt; perturbantur eæ, ut ex urinis conjicere licet; cum parcius effluere ſoleant & craſſiores ſint, fieri poteſt ut obſtruantur earum colatoria; id eo magis metuendum quod varie & facile in morbis afficiantur; cæcæ reperiuntur v. g. ſæpiſſime in corticali ſubſtantia cavernulæ, eæque lotio turgentes; quindecim & aliquando plures mihi in eodem rene occurriſſe memini, atque hoc non animadvertiſſe obſervatores ſane mirum eſt; ut autem id, tum aliud quodcunque præcaveatur vitium, diluentibus & diureticis refrigerantibus incumbendum; nullum mihi dubium eſt quin, iis prætermiſſis, pueri, & alii calculis obnoxii fuerint.

Occurrit interea, ſive ob earum partium affectus, ſive aliis de cauſis, vitium, quod febrium intermittentium curationi maxime adverſatur; eſt ſcilicet ubi in his acriori æſtu ferveant ægri;

ægri; atqui ſi tunc exhibeatur cortex Peruvianus, nuſquam ſuccedet; imo ſi urgeatur ejus uſus, noxius omnino eſſe poterit; ex eo major orietur incandeſcentia, acerrimi fient humores, exacerbabitur paroxyſmorum vis, imo febris in continuam abire poterit; aut ſi forte ſufflaminetur, metuendum ſane, ne impendeant multa alia, de quibus jam egimus; nec profecto quidquam aliud in interno partium ardore ex remedio adſtringenti & amaro exſpectare fas eſt; ſtimulus enim ſtimulo, & veluti ignis igni additur.

Ita frequenter febrium curationi adverſatur hic ignis, ut quoties in earum præcipue initiis ipſas cortice Peruviano non attingi obſervavi, toties ferme ardorem in viſceribus ſuſpicatus ſim; hac autem ſuſpicione longaque experientia ductus hujus corticis uſum intermittendum putavi; apozemata ſola ex herbis refrigerantibus & aperientibus, addito cryſtallo minerali, præſcripſi: his nempe brevi miteſcunt omnia, & febris deinde febrifugi viribus patens facile oppugnatur; eſt hoc adverſus hujus morbi contumaciam arcanum, quod raro admodum me fefellit.

Hinc videre eſt quam perverſa methodo febres curare aggrediantur, qui nullo diſcrimine kinamkinam ſtatim ingerunt, aut qui magnam ejus copiam brevi temporis ſpatio exhibent; poteſt quidem aliquando eſſe innoxius, imo & ſcopum attingere; eo enim ad unciam unam intra ſex aut octo horas præſcripto, ſublatæ ſunt febres; ſed in univerſum tuta non eſt præceps hæc medendi ratio; inducitur ſtatim gravitatis & conſtri-

ſtrictionis ſenſus in ventriculo, ſitis intenſior urget, dolores inſurgunt in hypochondriis, excitatur calor urens; hæc denique omnia alium in morbum abeunt, in icterum v. g., in lienis intumeſcentiam, nec raro in febrem continuam, quæ his omnibus aliquando minus eſt periculoſa.

Ex ante dictis non minus patet quam inconſulto exhibeatur idem remedium in febrilis frigoris invaſione; equidem cum ipſo etiam vino aut ſpiritu vini mixtum febres aliquando abegit; idem, ut diximus, additis jalappa vel agarico præſtitit; ſed ne quis male ſuada experientia in errorem deduci poſſit, in memoriam revocandum periculoſiſſimis medicamentis non raro curatam eſſe febrim; ſicut autem ſummæ dementiæ eſſet his infidis experimentis confidere, ita inſanum prorſus eſſet ſimilibus induci argumentis ad corticem Peruvianum in frigore febrili exhibendum.

Quid ſcilicet exſpectari tunc poteſt ab ejuſmodi remedio, dum, ut diximus, conſtricta rigidaque ſunt omnia, dum ventriculus ipſam aquam calidam vix ferre poteſt, dum ſtagnat ſanguis in vena porta, in auriculis cordis, & in ipſo pulmone; anxietates profecto exſurgent inexplicabiles, intendetur frigoris vis, paroxyſmis addentur vires, pejora autem experti ſunt ii, qui olea ſtillatitia vel alia calidiora, dum rigerent & horrerent partes omnes, adhibere auſi ſunt; nam inde gangræna & mors brevi aliquando ſucceſſit.

Inconſulta hac medendi ratione ſuffocatur neceſ-

ceſſario ſalubris naturæ conatus ; criſi quadam expelli febrile venenum jam innuimus ; eam obſervaverat *Galenus*, ipſamque primis diebus ſui præbere indicia aſſeruit ; ea autem in urinis ſe produnt, non equidem in lateritio craſſoque ſedimento, quod ſemper febris vigentis ſignum eſt, ſed in alba eaque craſſiore hypoſtaſi ; non minus tamen aliarum ſecretionum excretionumque opera judicatur febris intermittens ; ſecedit ejus cauſa tum per alvum, tum per cutis ſpiracula ; atqui his omnibus adverſa eſt turbulenta methodus ; non recludun-tur ea ſuccis eliminandis dicatæ viæ, & acris excitatur calor, &c.

Abſque criſi equidem tolli febres corticis Peruviani opera pleriſque perſuaſum eſt ; nam veluti uno ictu eas aliquando eliminat, nec tamen evacuationes per alvum, aut per urinæ ſudoriſque ductus molitur ; eas ſaltem ſibi non occurriſſe multi tradunt ; ſed dubium omnino eſt, an naturæ motus accurate obſervaverint ; cum hoc remedio curatur febris, non ſemper adeo conſpicua eſt criſis ; ſi quandoque ſubito & quaſi cum impetu fiat, ut plurimum leniter & ſenſim per vias quaſdam certo temporis ſpatio ſe ſubducit febrile venenum.

Hoc ſaltem certum eſt, quod niſi evacuationes naturales, quæ jam erant compreſſæ aut turbatæ, reſtituantur, nuſquam perfecta obtinebitur curatio ; atqui reſtitutio hæc ſpecies criſeos eſt ; imo propria ejus indicia, ſi attente explorentur, nuſquam ut plurimum latere poterunt poſt certum tempus ; mirum eſt profecto obſervationes,

nes, quibus tota inniti debet Medicina, & quas ſemper in ore habent tot Medici theoriæ adverſi, adeo negligenrer eſſe inſtitutas.

Tot & tantis argumentis nititur doctrina hæc, ut de ipſa nullatenus dubitari poſſe videatur: ego qui tantum kinæ-kinæ tribuendum, & jure quidem cenſeo, ad cohibendos paroxyſmos multum poſſe crediderim; ſed ad perfectam curationem præterea requiri pro certo habeo, ut circuitu vigente excernatur vel ſubigatur febrile venenum; dubium non eſt v. g. quin remaneat ejus fomes prima die, qua febriles inſultus ſublati ſunt; nam in eos brevi erumpet, ſi tunc intermittatur febrifugi uſus; atqui diebus ſubſequentibus eodem modo rem ſe habere ſtatui poteſt; ideo purgantia incaute adhibita toties ſopitam febris incandeſcentiam exſuſcitaſſe feruntur; protrahendus eſt ergo corticis uſus, donec natura opus ſuum abſolvat; neceſſaria eſt nimirum quædam criſis ſpecies, quæ fortaſſe, repreſſa febris vi, veluti ſponte fieri poteſt, ſed quæ ut plurimum aliis juvanda remediis, & nonniſi temporis lapſu adduci poteſt.

Objiciet fortaſſe quiſpiam vi corticis ſpecifica deleri ſenſim febrile venenum; id profecto, ſi omnino negare non liceat, non tamen certo niti argumento ſtatui poteſt; experientia liquet tantummodo hoc remedio vires addi circumeuntibus liquidis, iis fluorem conciliari, promoveri ſecretiones, ut diximus, & reſtitui partium functiones; atqui ita ad criſim multum quidem conferre poteſt; ea interim eliminetur oportet febrile venenum,

aut

aut ejus immutetur natura & infringatur vis.

CAPUT VIII.

De methodo obſervanda in corticis Peruviani uſu.

NON aliis quidem præceptis opus eſſe videtur, ut kinæ-kinæ inſtituatur uſus, ſed in eo veluti manu duci oportet; nec in re tanti momenti, licet cuivis obvia, ullum eſt quod leve videri poſſit præceptum; methodum itaque longa experientia nixam, & ex iis, quæ jam diximus, deductam trademus.

Statim autem decernendum quandonam exhibendus ſit cortex? inutilis quidem videtur quæſtio hæc, cum, uti diximus, nil in paroxyſmo moliri oporteat; ſed ut emeticis & purgantibus, ita huic febrifugo aliena a naturæ motibus tempora præfixit nonnullorum impatiens ſedulitas, cum primum ſcilicet in Europam advectum eſt, binæ ejus drachmæ ſub paroxyſmi ingerebantur adventum; atqui plurimis peſſime ceſſit intempeſtiva hæc medendi methodus; hinc tetra ſymptomata morteſque ſubitæ, quibus infamatum eſt ſalubre medicamentum; hoc vero infauſto eventu reſipiſcentes Medici per ſolum apyrexiæ tempus febri fugandæ incumbere didicerunt; ſit igitur *canon* perpetuo obſervandus, in remiſſione tantum aut perfecta quiete cortici Peruviano eſſe locum.

Et primo quidem, præmiſſis præmittendis, venæ ſectione ſcilicet, ventriculi & alvi expurgatione,

ne, atque aperientium uſu, poteſt exhiberi ille cortex ſolus a drachma una ad drachmam unam cum ſemiſſe; ita autem ſunt diſtribuendæ ejus medicamenti doſes, ut per intermiſſionis tempus drachmæ quatuor aut quinque aſſumantur, ſeu plus ſeu minus pro circumſtantiis, quæ variæ omnino eſſe poſſunt; ſic curatæ ſunt & curantur innumeræ febres, debito tamen ſervato regimine; ab eo quidem receſſerunt qui primis temporibus in uſum vocarunt remedium hoc; illo ſcilicet aſſumpto cibum ſtatim ingerendum putabant, at a ratione & experientia id æque alienum eſt; iuſculis tantum, ut jam præcepimus, nutriendus æger, donec febris receſſerit; tunc ad pleniorem victum, prout res feret, devenire licebit.

Interea obſervandum an innocue a ſtomacho recipiatur remedium hoc? an ciborum exſuſcitetur appetentia? an levis oriatur mador, quo perfundatur totum corpus? an alvi adſit laxitas? an denique urinæ nativus reſtituatur color? his autem deficientibus, aut non rite ſe habentibus, purgantia lenia, tum aperientia, & refrigerantia in auxilium vocanda; addere ſcilicet oportet cortici pulverato arcani duplicati aut tartari vitriolati vel pulveris temperantis Stahlii ſufficientem doſim, ut laxetur alvus; ſeu potius ne ad ea aut ſimilia in curationis tandem decurſu devenire cogamur, hæc ipſo initio omittenda non ſunt.

Sed quoniam gravior ſæpe eſt ſtomacho, ut jam dictum eſt, pulveratus cortex, & quia bilioſum, acerrimumque magma in primas vias poteſt per certum tempus affluere, alio modo re-

me-

medium illud præſcribendum putavi; poſt exhibitum namque emeticum, ſtatim atque per febrim licet, apozema jam memoratum uſurpare ſoleo; illius autem aſſumant ægri oportet cyathum unum, ſive uncias quinque, aut circiter ſecunda quaque hora; poſt tertiam tamen doſim trium horarum ſpatium interjiciendum eſt; ita porro pergendum donec apozematis libræ duæ ingeſtæ fuerint; non aptius profecto febri impugnandæ & alvo ſimul laxandæ adhiberi poteſt remedium; id tamen parciori doſi pro variis caſibus exhiberi poteſt.

Non ſolum alvum laxat, ſed non leviter aliquando inteſtina expurgat decoctum hoc; nam ea, ut diximus, cortici Peruviano ineſt vis, ut ſi leviſſimus ei addatur ſtimulus, veram purgantium energiam adipiſcatur; id quidem minus mirum videri debet, cum ipſe, nullis aliis admixtis, non raro alvum moveat; prima tamen aut ſecunda vice id frequentius eſt, quam in protracto illius uſu; tunc enim priſtinam vim purgantem amittit ut plurimum, imo adſtringens fit; excipienda ſunt ſolummodo quædam corpora, quæ eo ſemper purgari ſolent.

Quod vero nemo, niſi experientia edoctus, exſpectare poſſet, eſt ubi cortex inſtar draſtici medicamenti, ſine dolore tamen acriori, inteſtinalem moliatur evacuationem; in certis conſtitutionibus vidi ægros vigeſies alvum deponentes; nil tamen aſſumpſerant ii, nisi apozema jam memoratum cum ſalis Glauberi drachmis duabus aut tribus; aliquando hæc alvi dejectio indesinens videbatur;

pri-

prima tamen die aut ſecunda ſolummodo copioſa eſſe ſolebat; ita mihi placuit olim hæc purgandi ratio, ut in ſanis corporibus eam experiri voluerim; ſed me fefellit eventus; in iis enim non eandem vim exerit cortex, unde ea febribus ſolis circumſcribitur.

Cum autem tanta vi inteſtina ſollicitat cortex Peruvianus, ab omni cathartico abſtinendum; inde enim fieret, ut in ſanguinem non deferretur febrifuga vis, & per vias delaberetur infernas; præterea in viſceribus concitari poſſent turbæ; his autem fortaſſe acrior induceretur febris; non oportet interea deterreri, ſi quinquies aut ſexies moveatur alvus, idque prima aut ſecunda die; hoc curationi nuſquam obfuiſſe obſervavi, imo ad eam multum conferre poteſt, ejiciuntur enim pravorum humorum reliquiæ; ſed dein, aut poſt aliquot dies ſubſiſtat oportet, aut arte compeſcenda eſt hæc diarrhœæ ſpecies, ſalva tamen quadam alvi laxitate; decoctum ergo ſolum cum leviori nitri doſi exhibendum eſt, vel addenda quædam, quibus ſtimuli purgantis temperetur vis.

Si ergo purganti decocto leniter tantummodo laxetur alvus, eo nil vetat febris curationem proſequi; ſuccedet ea melius quam alia quacunque ratione; facilius ſibi in ſanguinem aditum faciet dilutum hoc remedium; ei nihil ineſt niſi quod febrili veneno poteſt occurrere; hoc habet ſolummodo incommodi, quod magna liquidi ingrati copia haurienda ſit; unde repugnantibus ægris ad alia deveniendum, quæ idem præſtare poſſint; exhiberi nimirum poterit pulveratus cortex; expur-

gata

gata enim jam alvo ſtomachus hunc facilius feret, addendi tamen digeſtivi, & aperientes ſales, &c.

Aliis variiſque modis poteſt exhiberi pulveratus cortex, ut jam diximus; multi huic rhabarbarum ſolent addere: *Longa, inquit* Meadius, *me docuit experientia, neceſſe plane eſſe exiguam portionem rhabarbari remedio huic admiſcere; ea ſcilicet ratione ut alvus bis ſaltem quotidie dejiciat..... at cautio tamen erat, ne ultra modum purgare pergerem; idcirco cum jam drachma una aut altera aſſumpta fuerit, ab exinanitione deſiſtere ſoleo, & celebris hujus antidoti uſui per ſe inſiſtere.*

Nec profecto quin feliciter ceſſerit rheum in multis inficiari poteſt; leniter alvum movet & ſtomacho amiciſſimum eſt; ſi quid ei exprobrari poſſit, maxime calor, quem concitat, & qui febre laborantibus tantopere noxius eſſe poteſt; unde temperetur oportet remedii hujus excalefaciens vis; metuenda eſt ea in certis corporibus, teneriori textu donatis, & quorum viſcera facile incandeſcunt; certæ etiam febres eam non ferunt, ipſaque exacerbantur; verum forte eſt quod dixit *Duretus*, rheum nimirum vitam hepatis dictum eſſe, cum ejus mors potiùs dici poſſit: quodcunque autem ſeligatur purgans, ſatis erit ſi id primæ tantum corticis doſi quolibet mane admiſceatur; ita per reliquum diei tempus purum putumque febrifugum exhibere licebit, niſi forte neceſſe fuerit ejus etiam refrænari vim, ex qua æſtus major poteſt inſurgere; hinc temperantibus præcaveatur oportet, & ita certiſſime delebitur febrile venenum.

Non equidem eorum remediorum opera ſtatim deſinet febris in genere ; imo aliquando ſequens ſive primus poſt aſſumptum apozema paroxyſmus gravior eſſe poterit ; idque fortaſſe ob turbas a purgante medicamento excitatas ; ut plurimum tamen remittet ejus paroxyſmi vis, & nonnunquam penitus ſe proripiet ; tertius ſaltem ferme ſemper evaneſcet ; tuto ergo & cito curari poterunt ejuſmodi methodo intermittentes febres ; unde graviter erraſſe cenſendum eſt eos , qui cortici Peruviano adverſam eſſe purgantium vim aſſerere non dubitarunt .

At in univerſa rerum natura nil perpetuum eſt ; ſunt febres quæ plus minuſve obſiſtunt ; imo occurrunt quæ nequaquam primis obſequantur remediis ; in genere autem ſtatui poteſt , quod ſi ſecundo aut tertio paroxyſmo non imminuatur ſaltem febrilis vis , vix ſperanda ſit curatio a cortice Peruviano ; videndum tunc ſupereſt num ſufficiens ſit adhibita ejus doſis ? num præmiſſa ſint quæ præmitti debuerunt ? num laxior ſit alvus aut nimium adſtricta ? ſi in iis omnibus nil reprehendi aut deſiderari poſſit , immutetur oportet curandi methodus , & a modo dicto febrifugo abſtinendum .

Si vero ejus opera deſinat febris , non ſtatim ab eo deſiſtendum ; firmanda eſt enim cura , & febrilis fomes penitus reſtinguendus ; id eo magis eſt neceſſarium quod per curationis initia ſæpe ſtatis horis experiuntur ægri leves capitis affectus , oſcitationes , caloris imminutionem , ſomnolentiam , aut quendam denique corporis non

bene

bene ſe omnino habentis ſenſum ; hæc quidem ſunt veluti quædam tantummodo præteriti mali monita , ſed in veram febrim priori ſimilem poſſunt erumpere ; exhiberi ergo oportet corticem Peruvianum , donec devicta ſit penitus morbi cauſa; quandiu autem protrahi debeat ejus remedii uſus , nequaquam definire licet ; pendet id ex multis quæ apud ægros ſingulos varie occurrunt.

Interea tradi poſſunt quædam leges , ad quas omnia reduci poſſint præcepta ; oportet nimirum ut per ſex vel octo dies poſt febris diſceſſum certa adhibeatur corticis Peruviani doſis , ut deinde ea ſenſim imminuatur per idem aut circiter temporis ſpatium , ut citius vel ſerius remedii illius intermittatur uſus , prout partium functiones melius aut deterius ſe habebunt , ut denique nuſquam ſecurus ſit Medicus , quoties aliquid deerit in bilis ſecretione , in alvi laxitate , in urinarum colore & copia , in ciborum appetentia.

En methodum , quæ aliis anteferenda mihi viſa eſt ; ſed ſunt aliæ corticis exhibendi rationes , de quibus nil detractum velim ; quædam ſunt certis corporibus magis accommodatæ ; hæ teneriori partium textu donatis , illæ robuſtioribus ; aliæ citius febrem tollunt , aliæ longiori indigent temporis ſpatio ; ſunt autem innumeri caſus , in quibus a via ſolita recedere cogimur ; unde noſcendum , imo experiendum ſæpiſſime , quod a variis Medicis eſt excogitatum ; adhibuerunt illi idem & ſpecificum remedium ; methodus autem varia eſſe poteſt pro ægrorum febriſque natura ; propriiſ-

que experimentis quemque duci æquum omnino eſt.

Non alia tamen ea, quam præſcripſimus potior eſt curationis ratio; eadem autem eſſe debet tum in ſimplici intermittente, tum in compoſita, in eo tantum a ſimplici intermittente differunt febres duplicatæ v. g., quod major ſit earum vis, & quod breviora ſint paroxyſmorum intervalla; ex his ergo duobus peti neceſſe eſt quod curationi addatur, aut quod a ſimplicium intermittentium curatione recedat.

Et primo quidem vis febris intenſior, cum pejora minetur, majorem poſtulat cautelam ſive apparatum in primis adhibendis remediis; ſtrictior ſcilicet imperanda diæta, magis diluendus ſanguis, temperandus calor, aperientium uſus commendandus; ſed imprimis evacuantibus ano & cato impenſius incumbendum, ut ſubtrahatur quodcunque febrili veneno vires poteſt addere; deinde vero, ſerius tamen, ad febrifugum deveniendum, niſi forte res maxime urgeat.

Si qua autem in febre cortex pulveratus ſtatim exhibendus non ſit, maxime in tertiana duplici, apozema jam præſcriptum in uſum vocare ſatius & tutius erit; nam copioſior tunc humorum acrium & putridorum proventus; unde patet remedii ſimul evacuantis & febri fugandæ idonei neceſſitas; cum vero paroxyſmi non ita multum diſtant alii ab aliis, cyathum unum altera quaque hora exhibere oportet: hic tamen nil ſtatuere licet quod ſemper ſit obſervandum; ſufficiet *canon* iſte certiſſimus, breviori tempore

eſſe

esse præstandum, quod in tertiana simplici longiori solet prestari intervallo.

Ita tollitur ferme semper tertiana duplex; & primo quidem solis adhibitis præparantibus remediis omnia mitescunt, & aliquando in simplicem tertianam facessit febris: si vero id non sic successerit, eodem modo se protipere incipiet adhibito febrifugo; seorsim nimirum sæpe curantur hæ febres, ita ut una statim ex duabus tertianis evanescat, remanente, uti diximus, altera; utraque tamen simul sæpius & quasi uno ictu sufflaminatur; cum autem sic vel aliter evanuerit febrilis motus, tunc decoctum simplex aut pulvis exhiberi poterunt cum certa salis cujusdam digestivi dosi, vel sine ea, prout res feret.

CAPUT IX.

An quartana febris peculiarem sibi vindicet curationem.

SPectant hæc quamlibet intermittentem febrem; videndum tamen, num quid peculiare sibi quartana vindicet? fuit autem hæc habita veluti Medicorum & ægrorum crux ante inventum corticem Peruvianum; imo ei vix obsequi etiamnum a multis creditur; si eo, inquiunt, curata sæpe videatur, sæpe non nisi per certum tempus se proripit; ea non raro hiemem transilit ad ver aut æstatem usque, & temporis beneficio potius quam febrifugis devicta abscedit.

Fatendum equidem ineſſe huic febri aliquid peculiare; in eo ſcilicet præſertim ab aliis abludit, quod altiores videatur agere radices, niſi ſtatim ei occurratur; at ſi recens ſit, nullum eſt dubium, quin methodo jam traditæ obſequatur, imo auſim aſſerere, eam æque facile ac aliam quamcunque curari poſſe; cum tamen in febrem magis contumacem degener abire poſſit, cautelæ quædam adhibendæ ſunt, quæ recidivam toties cortici Peruviano & Medicis exprobratam præcaveant.

Statim quidem, niſi leviora ſint febris ſymptomata, ſtrictior eſt imperanda diæta, licet eam duorum dierum inducíæ poſtulare non videantur; ita nec immerito ſenſiſſe videntur quidam ex vetuſtioribus, qui primis diebus aquam ſolam aſſumendam cenſuerunt; cum vero ut plurimum ita ſibi temperare nequeant ægri, ſolis juſculis ſtatim, & deinde levioribus omnino cibis nutriendi ſunt, idque per octiduum, ſive ſaltem donec per tres quatuorve dies tentatum fuerit febrifugum Peruvianum.

Certo proficiet hæc victus ratio, ſi recentes fuerint febres; ſin autem per certum tempus excurrerint, minus quidem efficax erit diæta; at non ideo eſt abjicienda, imo impenſius, ſaltem per certum tempus, initio imprimis ſuſceptæ curationis, eſt commendanda; metum fortaſſe incutient nonnullæ obſervationes his præceptis adverſæ; quin tamen præjudicata opinione inſtitutæ ſint nullus dubito; ſancte affirmare poſſum hanc medendi rationem ipſis ſenioribus magno fuiſſe adjumento; ſi viribus conſulendum eſſe negari ne-

nequit, prout eæ ſteterint vel defecerint, plus minuſve diætæ incumbendum.

Interim non ſuccedet ut plurimum ſine venæ ſectione; unde ſi per vires liceat, ſemper tentanda eſt; mirum ſane ab ejuſmodi ſubſidio tantopere abhorrere quoſdam inter recentiores; defluxit ab *Sydenhamo* prima erroris labes, & deinde alios opinione ductos infecit; ſi quandoque deplenda vaſa cenſeant, non id ratione febris, ſed plethoræ cauſa, neceſſe dicunt; tum ut emeticum abſque minori periculo adhiberi poſſit; ſapientior *Riverius* edixit, ne iis crederetur, *qui ſanguinis miſſionem non admittunt, niſi illius redundantia per venarum turgentiam aliaque ſigna apparuerit*.

Tanta inducitur mutatio ejuſmodi evacuatione, ut ea peracta aliquando ſe proripiat febrile venenum; ſi vero remanſerit, ſtatim infringitur ut plurimum ejus vis, quin etiam teſtari poſſum me abſque tali auxilio multas non potuiſſe curare quartanas; unde, ſi non audiendus *Botallus*, dum aſſerit ſanguinis miſſione eas perfecte curari, eandem multum ad ipſas abigendas prodeſſe negari nequit.

De vomitu nulla ferme incidit controverſia; is tanti eſt momenti, ut, ſi prætermittatur, remaneat ut plurimum febrilis fomes; nec profecto ab eorum ſententia abfuerim, qui non una vice, ſed nonnumquam pluries, ſubvertendum crediderunt ventriculum; ita debellatæ ſunt plurimæ quartanæ, in quas nulla omnino erat aliorum remediorum vis; purgantia interea non

tantopere urgenda ſunt ; pravorum enim humorum proventus non tantus eſſe ſolet in ejuſmodi febribus ; expedit nihilominus , ut alvi ſervetur laxitas .

His peractis dubium non eſt , quin ut plurimum abſcedat febris , ſi ea methodo , quam præſcripsimus , impugnetur ; cum tamen maxime contumax eſſe ſoleat , eſt exhibenda major febrifugi copia ; quin etiam eundem in ſcopum , alia , quæ vim habent penetrantem , ei remedio immiſcere ſæpiſſime præſtat ; aromatica quædam lenia cum ſale cichorii aut absinthii , methodo Tacheniana paratis , adhibenda ſunt ; caſcarilla imprimis , cui ſumma adverſus quartanam vis , in auxilium vocanda eſt ; at præſtantiores inſunt dotes ſerpentariæ Virginianæ , unde , licet calidior , audacter eſt exhibenda ; conſentiunt hæc cum experientia quotidiana & cum Antiquorum ipſa methodo ; calidiora nimirum ſolebant præſcribere , non ubique equidem , ſed certis temporibus : eandem mihi ineunti viam ſubiit aliquando ipſius caſtorei tentare vires ; cum autem ejus grana duo cum qualibet corticis doſi mixta exhibuiſſem , ejus mixtionis ſummam miratus ſum efficaciam .

At in hoc febris genere , ſi uſpiam , eſt certis remediis , de quibus jam egimus , locus , idque imprimis , ſi ſtent viſcerum vires ; cortex Peruvianus v. g. cum pulvere viperino , cum milleped bus , aut cum centaurio minori , vel cum agarico exhiberi poteſt ; ego vero in tenujoris ſortis hominibus , in robuſtioribus imprimis , & in illis , in quibus nulla prodiit partium internarum

læſio ,

læſio, ſequenti remedio frequenter uſus ſum; pulveris ſcilicet cornachini grana viginti quinque, agarici grana quindecim, ſalis ammoniaci drachmam unam, corticis Peruviani drachmas quatuor in electuarii formam cum ſyrupo quodam redigi curavi, & illius dein quartam partem tertia quaque hora exhibui.

Innumeras febres hoc remedio ſuſtuli, & nullis aliis præmiſſis, ſublatas novi, licet jam a duobus aut tribus vigerent menſibus; ſed per aliquot dies in ejus uſu perſiſtendum, imminuta ſolummodo, ſi neceſſe fuerit, purgantium doſi; interea ptiſana aperiens & leniter cardiaca præſcribatur; leviorque non prætermittatur nitri doſis; conferet ea tum ad urinas ciendas, tum ad compeſcendum calorem internum, qui forte remediis ſupradictis concitari poſſet.

Poſt devictam eorum opera quartanam febrim, a corticis uſu nequaquam deſiſtendum; imo ob impendentis recidivæ metum, diutiſſime exhibendum febrifugum hoc; ego vero in certioris prophylaxeos ſcopum, illud cum tartaro martiali ſolubili exhibere conſuevi; certum eſt hoc ſale reſtitui partium tonum, ſed quod rei caput eſt, obſtructiones tollit, hepatis colatoria reſerat, & bilis promovet effluxum; alia, quæ non minorem habent vim, in ſimilem uſum vocari poſſunt, uti ſales digeſtivi v. g., plantarum ſucci ſaponacei, & amari, vel ſoli, vel in juſculis adhibiti.

Acriora interim vel calidiora, de quibus modo egimus, licet aliquando in quartana febre

pro-

proficua, cuicunque ea laboranti exhiberi nequeunt; eorum non ferunt vim illi ægri, quos debiliores, & si ita loqui liceat, nimium irritabiles finxit natura: in his ergo statim præparantia majori quam in aliis cura administranda sunt; dein vero cortex Peruvianus, ut in febre tertiana simplici, est ingerendus, id est cum leniori-bus mixtis purgantibus & aperientibus; ipsius denique febrifugi excalefaciens vis temperanda est; decoctum scilicet febrifugum cum borragine & bugloſſo, addita terra foliata, aut nitro vel arcano duplicato, in usum vocari debet.

In senioribus alia non minoris momenti requiritur cautela; periculosiores nimirum sunt in provecta ætate febres quartanæ, nam frigore ipso obruitur aliquando vitalis spiritus; si intensior ergo fuerit horroris & rigoris vis, statim ei occurrendum; & primo quidem infringi certo posset emeticis, & dein præcipiti corticis usu; sed in certiorem prophylaxim adhibeatur ea methodus, quæ frigori febrili per sudores avertendo dicata est; sufficiens deinde præscribatur corticis dosis, ut sufflaminentur omnino paroxysmorum reliquiæ; cum vero in senectute minus permeabiles fiant partes, viresque earum effœtæ sint, acuendum imprimis illud remedium stimulo quodam aromatico & sale penetrabili; hæc quidem magis erunt necessaria, si adsit hiemale tempus.

Sed quæcunque adhibeatur methodus, occurrunt aliquando quæ vix aut nullo modo expugnari possint febres; tunc vero eas naturæ committendas ratus, a febrifugis omnino abstinui;

so-

ſolis ſub veris adventum aperientibus, bilis ſecretionem promoventibus, alvum leniter laxantibus curationi ſpontaneæ viam ſternere ſatius viſum eſt; fuit tamen, ubi, abjectis aliis remediis, ammoniaci ſalis vires tentare voluerim; in juſculis ſcilicet ex lapatho & amaris ſaponaceis, ut ex cichorio & ſoncho, ſalis hujus drachmas quatuor mane per aliquot dies exhibui; ita profecto ſæpiſſime profligatus eſt morbus, in quo multa incaſſum expertus eram.

His omnibus de corticis in febre quartana uſu, addendum quod mihi certo innotuit remedium adverſus ejus febris contumaciam; aquæ ſcilicet thermales vi purganti donatæ curationem omnino abſolvunt, cum incaſſum alia omnia tentata ſunt remedia; inſigne hoc beneficium retulerunt multi ex aquis Borvonienſibus (*a*); ſed & alias idem

---

(*a*) *Sunt ea viribus inſignes in Campania, nec olim apud Romanos fuere incelebres, ut patet ex Inſcriptione, quæ ita ſe habet:*

BORVONI. TOMONAE. C. IATINIVS. ROMANVS.

IN. G. PRO. SALVTE. COCILIAE. EX. VOTO.

Eſt autem Borvoni, *ſive* orvoni, *ſeu* Verbona *ut apud* Ammonium *videre eſt, nomen Celticum ex*

idem præſtitiſſe certum eſt; cum nonnulli poſt ultimum bellum Belgicum febrium contumacium quartanarum tum & etiam tertianarum traherent reliquias, non alio auxilio iis liberari & reſtitui potuerunt, imo teneriora infantium corpuſcula inde veletudinem retulerunt.

Dum autem tentantur varia remedia, obſervandi ſunt diligenter naturæ varii motus; inclinat quartana in lienis imprimis tumorem; colligitur ſanguis in vaſis meſeraicis, in iiſque niger & veluti aduſtus hærere ſolet, unde aliquando effluxus periculoſus atræ bilis, quæ nihil aliud eſt quam ſanguis ille antea ſtagnans, & qui picis inſtar ex ſuis erumpit receptaculis; ſunt ergo exploranda ſæpius hypochondria, ut, ſi fieri poſſit, præcaveantur congeſtiones, & ne exhibeantur quæ ad illas conferre poſſent medicamenta.

Non

---

ex duplici verbo, ex Berw *ſcilicet, quod calidum ſignificat, &* von, *quod fontem innuit; unde* Divonia *apud* Auſonium *eſt fons Deorum; Proſtant ejuſmodi nominibus inſignita quædam loca, quæ ob thermarum vim frequentantur, & quæ* Bourbon, *aut* Boulbon *dicta ſunt; quod vero* tomonam *ſpectat, erat haud dubie Nympha hic loci coli ſolita; apud* Cambdenum *ſimile quid extat: inſculpta cuidam lapidi verba hæc:*

DEO MOVNO CADENORVM,

ab eo referuntur Authore.

Non minus interea nos intentos esse oportet aliis naturæ conatibus, qui ad curationem conducunt; dysenteria, hæmorrhoidali evacuatione, ipsis menstruis erumpentibus, imo graviditate & partu, soluta fertur quartana; dysenteria quidem, si levior sit, & si ea depleantur vasa meseraica, in bonis numerari potest; at ex hæmorrhoidibus stillans sanguis plus proficere poterit, eo effluente magis expedita erit circuitus via per venæ portæ ambages; unde juvandus ejusmodi effluxus, & quandoque proritandus: non tantum spei reponendum in menstruis, nisi forte prius cohibita affatim prodeant; cum iis enim incedere nihilominus febrim sæpius observavi.

Quod graviditatem spectat, casum referam, quem celebris admodum Chemicus narrare solebat. Laboravit quartana febre ipsius soror per quinquennium integrum, nec prægnatione & partu multiplici levari potuit; incassum ab illustrissimo *Stahlio* multa præscripta sunt remedia; nil decessit de febrili typo, aut de symptomatum vi; sed cum, inflicto vulnere, effractum esset ægræ brachium, desiit statim morbus adeo contumax; nec profecto mirum si ita se subduxit; ira enim & terrore, tum & valido motu nonnunquam, ut diximus, solvitur.

CAP.

CAPUT X.

De impedimentis, quæ in antecedentibus certarum partium affectibus, aut in variis temperamentis occurrunt.

AT hæc præcepta ſequi ubique non licet; ea eſt ſæpe corporum natura, partium conſtitutio, ipsius febris ratio, ſymptomatum varietas, ut undique occurrant obices; ad eos igitur removendos alia incedendum via, aut potius ea, quam jam oſtendimus, inflectenda eſt, ut ad curationem devenire liceat; accommodandus eſt ſcilicet corticis uſus variis quæ objiciuntur impedimentis, sive in quadam parte, ſeu per totum corporis tractum.

Ventriculus ipſe cortici Peruviano ſæpe reluctatur; ejus nimirum ſaporem, licet non ita ingratum, ferre nequit; ne vero ejuſmodi offenderetur remedio, huncce hauſtum concinnavit *Fullerus*; adhibuit ille corticis pulverati drachmam unam, aquæ cardui benedicti uncias tres, aquæ epidemicæ drachmas duas, & ſyrupi caryophyllorum tantumdem; in his profecto simul mixtis nil adeo guſtui adverſum occurrit; metuendum ſolummodo ne calorem concitent; ad hunc ergo avertendum, nitrum admiſcendum eſt, & ptiſana refrigerans & aperiens eſt adhibenda.

Eodem vitio laborat corticis in vino generoſo in-

infuſio; ut autem minus ingrata ſit, quidam vino utuntur Hiſpanico, ſed poſtquam peracta fuit, bulliat jubent aliquantiſper; ita ſcilicet vinum hoc vim ipſi inſitam credunt exuere, tutoque poſſe præſcribi; ſi tamen cuidam vino ſit locus, maxime vino Rhenano, utpote magis aperienti & magis temperato; nihilominus, ut ſæpius dixi, calidiora ſunt ſemper ejuſmodi remedia; plus poſſunt in febres, quæ jam ſunt effœtæ, quam in febres validiores & recentes: extractum aqueum cum pulvere Stahlii mihi longe videtur anteferendum; poteſt ex iis concinnari bolus cum ſyrupo quodam grato & cardiaco.

At non in repugnantia ſolummodo, ſed in ipſius ventriculi læſis functionibus occurrit ſæpe impedimentum; ne ingeratur ſcilicet cortex Peruvianus, vetat aliquando vomitus pertinax; *Sydenhamo*, ut obicem hunc tolleret, mos erat, juxta *Riverii* methodum, ſuccum citri cum abſinthii ſale exhibere, & dein laudano liquido irritationis fomitem aggredi; alii audacius curationem febris ſimul moliri tentantes, febrifugum ipſum cum opio vel theriaca præſcribere ſolent; ego vero, ſi febrilis vis non multum urgeat, eamque ægri tuto ferre poſſint, ventriculo ſtatim mederi ſatius exiſtimarim; eo reſtituto, curatur facilius alius morbus.

Uti ventriculus, ita inteſtinalis tubus ſæpe curationi repagulum objicit; utroque autem in caſu eadem ratione ægris licet ſuccurrere; exhiberi nempe poteſt cortex Peruvianus in enematibus; ita tamen uſurpatum pueris magis quam adultis pro-

profuiſſe obſervatum eſt; ſed nihil, aut parum omnino proficeret, niſi diu in inteſtino recto & colo retineatur; atqui facile elabitur, idque præſertim ſi diarrhœa urgeat; recurrendum ergo ad narcotica, quæ ſimul cum corticis decocto infundantur oportet; ſtatuendum ſolummodo ſupereſt, quænam eorum doſis exhibenda ſit.

Ego quidem theriacæ drachmam dimidiam, aut ſæpius ſyrupi diacodii unciam dimidiam, cum decocto, in quo ebullierat corticis uncia una, adultis præſcribere conſuevi; horum beneficio duo ut plurimum aſſecutus ſum; moram primo diutinam fecerunt enemata in tubo inteſtinali; paulatim deinde aut aliquando brevi temporis ſpatio abſceſſit febris, veluti ſi ore aſſumptum fuiſſet febrifugum; obſervari tamen velim, quod ſi eadem die hoc repeti neceſſe ſit, imminuenda eſt narcoticorum doſis; cavendum nimirum, ne nimius inducatur ſtupor, quod inexpertis ſive imprudentibus contigiſſe memini.

Ut in ſtomacho, ita in pulmone occurrunt ſæpe impedimenta; nam cum tenerior eſt ejus textus, & ſanguinis ſputo aut tuſſi acriori obnoxii ſunt ægri, nequaquam corticem Peruvianum ii ferre poſſe videntur; ſed obſervandum huic affectui magis adverſam eſſe febrem, quam illius remedii vim; unde ab eo abſtinere non ſemper tutum; cum ea interim cautela exhiberi debet, ut lenientia simul præſcribantur; in hunc ergo ſcopum radicem althææ aut flores papaveris rhœados corticis decocto addere ſoleo. Cum quædam fœmina in tuſſim incidiſſet acerrimam, eam-

que

que indesinentem, ad ejuſmodi lenientia devenire coactus ſum, & ſummo quidem ægræ emolumento; simul enim & tuſſis & febris diſceſſerunt.

In certis temperamentis, in cachecticis v. g. & in hypochondriacis, cautelam ſimiliter poſtulat cortex, pro vario eorum affectuum ingenio; in iis quædam imprimis pars ægra eſt, in aliis plura afficiuntur viſcera, & nervi inordinatos cient motus; ſi ergo calida uſurpentur, ſi cortex Peruvianus abſque prævia præparatione aut ſolus ingeratur, acrior inſurget calor, & conſtringentur ægræ partes; unde emollientia, leniter laxantia, aperientia, & refrigerantia tum præmitti, tum ſimul uſurpari cum febrifugo neceſſe eſt; ſi alia ineatur curationis ratio, febris contumacior erit & ingraveſcet.

Non minora occurrunt impedimenta in virginibus chloroticis, ſeu menſtruorum vitio laborantibus; difficile omnino curantur in iis febres, quoniam tunc adeſt duplex morbus; ſed acrius urgenti eſt occurrendum, non neglecta interim quæ intermiſit ſanguinis expurgatione; eam quidem reſtituere incaſſum tunc temporis tentaret Medicus; at ipſi cavendum, ne jam obſtructis colatoriis nova obijciat repagula, & inordinatos febriſque curationi adverſos cieat motus; eniti contra oportet ut magis expedita ſit tam ſalubris effluxus via, & ne quid inde in alias redundet partes, quarum functiones, jam labefactatæ, magis poſſent perturbari; maxime autem in ejuſmodi ægris præſtat, ut ſtatim concitetur vomitus; non minus

enim præcedenti affectui impugnando, quam febri fugandæ aptus eſt; ſuccuſſionem poſtulat ſtomachus, cum ſuppreſſis menſtruis male ſemper afficiatur; huc accedit quod vomitu concitato præcaveatur ſpontaneus vomitus, in ejuſmodi morbo familiaris; rejiciuntur ſæpiſſime omnia ferme ingeſta; at præmiſſo emetico his ſternitur via, aut retinentur ſaltem facilius quæ reſpui ſolebant.

Non minus interea incumbendum in alvi expurgationem, & in bilis promovendam excretionem; non deficit enim in chloroſi recrementum hoc, ut quibuſdam viſum eſt, ſed in ſuis ſtagnat receptaculis, ibique acerrimum fit, & intenſiori flavedine tinctum obſervatur; inde iterum patet quanti interſit hoc magma in ſolitas naturæ vias reducere.

Cum his quantum licebit conſultum fuerit, ad corticem Peruvianum devenire oportet; compingendo ſanguini & revocandis menſtruis aptum omnino eſt remedium hoc; videndum eſt tantummodo qua ratione uſurpari poſſit, & quibuſcum remediis conjungi debeat.

Statim autem proſpiciendum, ne quid ſtomacho faceſſat negotii; unde, ſi in pulverem redactus cortex adhiberi facile nequeat, in uſum vocandum eſt extractum aqueum; immiſcenda huic interim cardiaca & antiſpaſmodica, quæ multum opis afferre poſſunt; cum vero ad curationem tantum conducere poſſit alvi laxitas, ejus habenda eſt ratio; parcior ſit tamen oportet purgantium doſis; metuendum enim eſſet ne in corporibus, uteri morbo vexatis, novæ cierentur perturbationes,

nes, quæ febris curationi obeſſe poſſent; hinc cortici cum cardiacis temperatis aliquid, quod leviter tantum inteſtinorum colatoria ſollicitet, addendum eſt.

Quod ſpectat eas febres, quæ diutius excurrerunt, & in chloroſi non ita raro ſunt pertinaces, eas alio prorſus modo oportet aggredi; præmiſſis ſcilicet remediis univerſalibus, juſcula ex lapatho ſilveſtri, & ex cichoraceis imprimis, cum ſuccis antiſcorbuticis exhibenda ſunt, tum ut pervium fiat hepar, tum ut in collicias uteri ſimul adigatur ſanguis; his inſuper juſculis addendum eſt arcanum duplicatum; in eo enim eſt vis purgans, & ipſum uterum leniter ſtimulans; unde & menſtruis & cortici Peruviano ſternitur via.

Non quidem hanc medendi rationem perpetuam eſſe velim; varia enim incidunt, in quibus eadem ſemper eſſe non poſſit curatio; exemplum tantummodo adduxi, quo pateat quid poſtulet febris cum chloroſi conjuncta: ſed de his ſatis ſuperque; ad alia jam deveniendum.

Pueris febre laborantibus mederi non minus arduum eſt; omnia reſpuit medicamenta ætas hæc; hoc tamen in ea eſt peculiare, quod minus periculoſe ægrotare ſoleat; videre eſt tenerrima corpora febri intermittenti diu veluti confecta, quæ tamen inde evadant feliciter, idque ſæpiſſime ſolius naturæ beneficio; ſed facilius evaderent, ſi ipſo initio lenis concitaretur vomitus; vel ipſis a biennio natis ego tartarum ipſum ſtibiatum præſcribere non reformido; mitius enim in eis ſtomachum ſubvertit, quam in adultis, ut certiſſima didici experientia.

Cum tamen terrorem incutiat vel ejus remedii nomen, kermes minerale in uſum vocare ſatius erit; eo non ita commoventur aut irritantur nervi, nec ab ejus vi, vel in tenerrima ætate, quidquam metuendum; non minus tutum medicamentum eſt ipecacuanha, ſed parce uſurpetur oportet; mihi tot circiter grana exhibere mos eſt, quot annis nati ſunt pueri; vel leviſſima ejus doſis vomitum concitare poteſt; nec ſatis profecto mirari licet quare a quibuſdam a drachma dimidia ad drachmam unam adultis ingeratur; ſi nocere non obſervatum ſit, inde id pendet quod primo vomendi conatu rejici ſoleat magna ejuſmodi doſis.

Magis proficuum eſſet hoc remedium, ſi febrifuga deinde exhiberi poſſent; ſyrupus ſolus ex cortice Peruviano ſufficeret, ſi imprimis cum rob ſambuci conjungeretur; in eo enim eſt vis leniter purgans, ita ut variis pueris non aliud cathartcum exhibuerim; at ſi in uſum vocari nequeat remedium hoc, ad abſorbentia cum rheo, & cum cremore tartari deveniendum; ſunt hæc in teneriori ætate vera febrifuga; imo ad alia medicamenta confugere vix in multis opus eſt; unde, quantum fieri poteſt, urgenda; licet enim ſponte tot evadant pueri, multis intumeſcit alvus, obſtruuntur viſcera, hepar in molem aſſurgit maximam; graviora hæc fient, ſi perperam adhibeatur cortex; imo ſi nondum contigerint, ea ipſe inducere poterit.

CAPUT XI.

De impedimentis ex ipſa febre, ex vitiis, quæ in varias partes inferre ſolet, & ex perverſa medendi methodo ortum trahentibus.

ALia occurrunt impedimenta, quæ ex ipſa febri originem trahunt, aut ex perverſa medendi methodo; hæc autem vel in genere ſpectari poſſunt, vel in ſe ipſis ſigillatim; in genere quidem reduci poſſunt ad febrium contumaciam & ad abdominis affectus ex iis ortos; quod febrim ſpectat, eſt ubi ipſa corticem Peruvianum reſpuere videatur; eo enim nullatenus aliquando attingitur, licet præmiſſa ſint quæ curationi viam ſternunt; quin imo ipſius corticis vires pro variis temporibus variæ eſſe videntur; certis enim annis feliciter ſuccedere, aliis vero nocere potius quam prodeſſe ſolet; non magis proficuus eſt nonnunquam in quibuſdam locis, in regionibus v. g. uliginoſis & mari adjacentibus; varia haud dubie eſt veneni febrilis vis; acrius nimirum partibus ſolidis vel humoribus altius infixum, iis arctiori nexu inhæret.

In ea febrium contumacia inſanum profecto eſſet inutile urgere remedium, cum non innoxium eſſe poſſit; fruſtra ad majorem doſim recurrunt nonnulli, ut febrilem veluti obruant fomitem; vel enim ſufflaminantur tantummodo paroxyſmi,

xyſmi, remanetque in viſceribus morbi cauſa; vel, ut diximus, ignis igni additur, & magis contumax urget febris; a corticis igitur uſu deſiſtendum, & ad diluentia & aperientia redeundum; ſed quod rei caput eſt, emeſis imprimis cienda; in eo peccant multi in locis paludoſis v. g. quod emeticis, minus quam par ſit, incumbant; tanta eſt in febres eorum medicamentorum vis, ut multos, ſicut jam dictum eſt, qui in prophylaxim iis uſi ſunt, immunes ſervatos viderim.

Quanti autem momenti ſit in hac febrium contumacia cortice Peruviano non abuti, ex multis noſſe licet; oriuntur ex perverſa medendi methodo varia partium vitia, quæ in reliquam protrahuntur vitam. Vidi homines robuſtiſſimos, qui poſt febres intermittentes varias experirentur functionum principum læſiones, & in miſerandos inciderent affectus; alii melancholici & cachectici fuere, alii obſtructionibus fuerunt obnoxii, non pauci varia malorum ſyndrome confecti vita tandem functi ſunt; quibuſdam denique gravior & ante conſtitutum a natura terminum incubuit ſenectus.

In contumaci febrium illarum decurſu multa occurrunt, eaque peculiaria, quæ cortice Peruviano curationem vetant proſequi; cum in uſum vocatur remedium hoc, gravitatis ſenſum, ardorem, & conſtrictionem experiuntur multi, ut jam diximus; ſunt autem hæc certa curationis impedimenta; vel enim latet affectus quidam in ipſo ſtomachi textu, ut jam innuimus, & tunc ipſi

medendum pro cauſæ natura; vel quod ut plurimum occurrit, inſunt degeneres pravique ſucci, iique mordaces, caloremque inducentes; atque hinc iterum emeticorum patet neceſſitas.

Non minus occurrunt ejuſmodi impedimenta in duodeno aut reliquo inteſtinali tubo; alvus fit ſæpe pigrior in corticis Peruviani uſu; quæ dejiciuntur veluti urentia ſunt, bilioſa, flavo-rubra, aut nigreſcentia, ita ut his aliquando veluti corrodi videantur lintea; ſi autem hoc in caſu febrifugi hujus opera curationem proſequi volumus, male omnino conſuletur ægris; ſtatim quidem præcaveri potuiſſent hæc omnia lenioribus emeticis uſurpatis aut repetitis; purgantia levia, refrigerantia & aperientia, eorumque uſus protractus univerſam hanc ſuſtuliſſent ſaburram; nec vero aliud quidquam, cum ea per corticis Peruviani uſum ſe prodiit, tentandum ſupereſt, & ab eo omnino temperandum, donec res ſe melius habuerint.

Aliquando profecto miratus ſum tantum poſſe leviſſima remedia, cum efficaciſſima incaſſum adhibita eſſent. Vir nobiliſſimus per dies ſexaginta febrem quotidie recurrentem paſſus erat; fruſtra omnia adverſus eam tentata erant a celeberrimo Medico; eorum tandem & morbi pertinacis pertæſus æger, drachmas duas pulveris temperantis Stahlii qualibet die per hebdomadam aſſumpſit, ita tandem reſtitutus nullum omnino expertus eſt febris veſtigium.

Idem ſæpe obſervavi in aliorum remediorum uſu. Cum quidam v. g. in febrem incidiſſet, ea cortice

Peruviano exaſperata eſt; tunc autem alio converſa curatione, ſalis ammoniaci flores pluries qualibet die præſcripſit Medicus; leves quidem erant hujus ſalis doſes; pedetentim tamen ſe ſubduxit morbus. Alia & ſimilia poſſem referre exempla, quibus conſtat magnum remediorum apparatum non præſtare aliquando, quæ leviſſimis ſimplicibusque obtinemus auxiliis.

Sed ut plurimum altius omnino reſpiciendum, ad eorum omnium fontem ſcilicet, in quo vera ſunt impedimenta; pendent ferme ſemper hæc omnia ex hepate; ſi autem ab initio laboret pars hæc ob nimiam febris vim, piaculum ſane eſſet corticem Peruvianum exhibere; at ſi in ejus uſu bilis ſecretio aut excretio lædatur, non minus ab eo temperandum; ſi enim urgeatur remedium illud, colligetur bilioſum magma, idque craſſiſſimum & acerrimum, veluti retorridum fiet hepar, fæces erunt nigriores, urinæ intenſe rubro inficientur colore, omnino lateritium copioſumque erit earum ſedimentum; ſed ne iis quidem opus eſt, ut dignoſcatur hærere aliquid in hepaticis functionibus, quod curationem impediat; ſi ſolummodo lividus ſit vultus aut pallidus, vel ſubluteum referat colorem, etiam cum febris evanuiſſe videtur, eam in limine præſto eſſe pro certo haberi debet.

Ad tollenda autem illa omnia, intermittendus ſtatim corticis Peruviani uſus, & hepatis tubulos reſerantibus per aliquot tempus inſiſtendum; in hunc autem ſcopum adhibenda apozemata ex plantis ſaponaceis, amareſcentibus, ex cichorio v. g.,

ex

ex ſoncho & taraxaco ; non raro eorum ſuccum depuratum cum ſuccis borraginis & bugloſſi in uſum vocavi , addito tamen ſale purganti, ut arcano duplicato; tanta eſt vis purgantium in hepatis affectibus , ut ſolis juſculis ex lapatho & cryſtallo minerali eos ſæpe ſuſtulerim ; deinde vero feliciter , alias citius , alias tardius , ad corticis Peruviani uſum redii.

Gravius eſt impedimentum , ſi alvus durior evaſerit , ſeu febris vi in eam ſe exerente , ſeu remediis perperam adhibitis ; duritiei ejus cauſa eſt in viſceribus modo dictis , ingurgitantur nempe & obſtruuntur , ideoque eorum textum non facile permeat ſanguis , in iiſque ſtagnant alii humores ; inde , ut innuimus , irritatio , quæ fibris rigiditatem conciliat , alvum adſtringit , vaſorum plethoram in meſenterio inducit ; quoties autem hæc occurrunt , nuſquam niſi iis ſublatis febrem curari poſſe ratum , certumque ſit.

Et primo quidem cortex Peruvianus tunc ſaluberrimas ſuas vires non poteſt exerere ; ſola evacuatione, eaque repetita poteſt ſua viſceribus reſtitui mollities ; non tamen hoc ipſe cortex Peruvianus , licet purgans ſit , imo & quinquies aut ſexies alvum moveat , præſtare poteſt , ut ſæpiſſime obſervavi ; ineſt haud dubie huic remedio quidam acrior & æſtum inducens ſtimulus , dum inteſtina ad fæcum excretionem ſollicitat ; ideo non laxantur eorum fibræ nec aliorum viſcerum textus.

Quæ maxime conducunt in hac alvi duritie , ſunt lenia purgantia ; quoties ea mihi occurrit ,

caſsiæ

caſſiæ, aliorumque ſimilium opera inteſtinorum rigiditatem emolliendam curavi ; nec quidem mirum ſi ex iis percipiatur levamen ; educuntur acriora excrementa , tollitur putredinis fomes in tubo inteſtinali latens , infringitur ſtimuli in nervos agentis vis ; ita facilius procedit ſecretionum & excretionum opus ; at in partium textu hæret mali labes ; pendet ea ex obſtructionibus , ſtagnationibus & irritatione inde orta ; atqui his mederi nequeunt levia purgantia ; veniunt ea tantummodo in ſubſidium , quod multum juvare poteſt.

Hinc ergo patet, diluentia , ſanguinis circuitum promoventia , alterantia , obſtructiones tollentia , ægris poſſe opitulari ; ideo ſemper cichoracea ſimul , aliaque id genus cum leviori ſalium ſtimulo præſcripſi ; his autem per certum tempus aſſidue adhibitis , ſemper reducem obtinui alvi mollitiem ; hoc imprimis in iis febribus , quibus non ita longe ab earum initio mihi mederi contigit , aſſequutus ſum .

Cum vero diutius excurrerunt febres , non ita ſucceſſit lenior hæc methodus ; cachexia & alvi renitentia gravior valentioribus remediis oppugnanda eſt ; ideo ſæpe purgans ex ſenna exhibui , intermixtis tamen ſemper mollioribus , ut caſſia , tamarindis , aut manna ipſa ; juſcula quidem deinde laxantia & emollientia uſurpavi , ſed ex lapatho ſimul , quod tollendis obſtructionibus aptiſſimum eſt , conficienda curavi ; terram interim foliatam , quæ & ipſa penetrantiſſimum eſt remedium , per certum tempus addidi , & tandem tartarum martialem ſolubilem in uſum vocavi ; ita autem

voti

voti compos factus ſum, imo & ſæpiſſime ipſas febres fugatas obſervavi; ſed curatio hæc fida certaque non eſt; poſtquam ergo ſubſedit abdomen, certiori febrifugo, id eſt, cortice Peruviano abſolvenda & firmanda eſt.

Hæc autem omnia huc redeunt, ut tollantur obſtructiones, ut pro earum ratione varia adhibeantur remedia, ut leviora in leviori partium affectu, valentiora in graviori, in uſum vocentur, ut mutetur medendi methodus, prout mutatur morbi facies, ut tandem cauſæ febrili propriis adjumentis ſeu ſpecificis res tranſigatur.

Hæc medendi ratio, quæ varie circa obſtructionum cauſam verſatur, multo magis neceſſaria eſt, ſi valde intumuerit venter; non rara quidem eſt intumeſcentia hæc abſque aquæ collectione; in variis nimirum occurrit febribus & præcipue in certis epidemiis, imo ipſo initio, aut ſaltem non multo poſt; ſæpius tamen poſt certum decurſum prodire ſolet vera colluvies; non modo alvus, ſed vultus & ipſa brachia, parteſque infernæ intumeſcunt; atqui in hoc rerum ſtatu exulet oportet cortex Peruvianus; purgantia & aperientia, quæ toties hic commendavimus, ſola exhibenda; diureticis etiam incumbendum; ſolo vino, cui baccæ juniperi infuſæ, addituſque ſal martis Riverii cum ſale prunellæ ſæpe uſus ſum; eo febres ipſas curavi, totamque ſæpius intumeſcentiam ſuſtuli; ad febrifugum tamen ſpecificum vel ipſis ſe ſubducentibus redire ut plurimum mihi mos fuit, quo certior & firmior eſſet curatio.

CA-

CAPUT XII.

De curatione febrium, quæ cum desierunt, iterum exsurgunt; tum quorundam symptomatum, quibus stipari solent.

SI tollantur impedimenta jam memorata, facile tollentur febres, nec quidquam remanebit ex veneno febrili; sed ea non est ægrorum omnium conditio, ut eo, dum impugnatur, penitus liberentur; in multis per certum solummodo tempus avertuntur paroxysmi; eos vel leviſſima reducit occasio, vel sponte reviviscunt; ita alterna vice evanescentes & redeuntes, per longum sæpe temporis spatium protrahuntur febres.

His ut occurrerent Medici, varia tentarunt; modo largiorem corticis exhibuerunt dosim, modo vero, ut ipsi vires adderent, varia cum eo miscuerunt; fatendum profecto, quod in plurimis ægris non raro succedat remedium hoc varie exhibitum; cum millepedibus mixtum v. g. aut cum pulvere viperino, vel cum centaurio minori febres sustulit pertinaces; cum ipsis purgantibus non minus efficax fuit. Vidi multos, quibus diu & incassum magna ejus copia ingesta fuerat, & tamen apozemate alias descripto perfecte curati sunt; non ergo in corticis Peruviani usu negligenda sunt purgantia, aliaque modo memorata, cum diluentibus tamen & aperientibus exhibenda.

Ego

Ego vero his irritis certiorem, cum per ægros licuit, amplexus ſum medendi methodum; ſtatim ſcilicet eos lecto addixi, veluti graviori laborarent morbo; hæc curandi ratio a *Sydenhami* præceptis aliena eſt; is quidem decubitum in lecto remediis febrifugis adverſum eſſe cenſebat, idque etiam in intermittentibus, quæ ad continuas vergerent; ego vero, licet alias a ſummo viro ægre diſſentiens, ſitum corporis horizontalem, atque omnium partium quietem multum profuiſſe obſervavi; id innumeris experimentis confirmatum, ut certiſſimum curationis *canonem* proferre non vereor.

Novi equidem id cum quibuſdam non conſentire experimentis. Refertur in Academiæ Regiæ Commentariis, ægrum quendam febre contumaci laborantem, non alia ratione potuiſſe ſublevari, quam ſi e lecto exſiliens ſedili ſe contineret; tunc deferveſcere ſolebant paroxyſmi; at quid eo alterove exemplo, eoque inſolenti, probari poteſt, refragante imprimis quotidiana experientia? nimio quidem æſtu urgeri poſſunt decumbentes, iique melius quandoque ſe habuerunt, ſi conſurgerent; an autem inde perpetua lex, quæ quoſcunque e lectulo eximat?

Sed ut ad eos redeam, quibus aliter conſultum volui, ipſis tenuiſſimam ſimul præſcripſi diætam, & aliquando per aliquot dies ſolius aquæ potum; deinde vero ad aperientium & leniter purgantium uſum confugi, eumque per certum tempus protrahendum curavi; ita ſæpiſſime iis ſolis ſe propipuit febris; aut ſi eam ſupereſſe contigerit,

rit, multum de ſua vi & pertinacia ſemper remiſiſſe obſervavi; tunc autem cortici Peruviano facile obſequitur, & ſi rite exhibitum fuerit remedium hoc, nullus eſſe debet recidivæ metus.

Neceſſaria omnino eſt hæc methodus in certis febribus, quæ non raro occurrunt. Eſt v. g. ubi evaneſcant paroxyſmi & remaneat pulſus frequens; inſurgit imprimis ejus vis, vel poſt motum quemlibet, vel poſt paſtum, licet ſibi nimium non indulſerit æger; non male interea ſe habere videtur, quia febrifugis utitur, vel jam uſus eſt; ſed ſi a ſtrictioris diætæ legibus receſſerit, ſi conſueta repetantur munia, ſi ad hæc accedant certæ aeris mutationes, tunc, inquam, inſtat febris, quæ amota videbatur; nequicquam autem proficiet, licet ingeſti affatim corticis Peruviani vis fallaces tantummodo, fugaceſque dabit inducias, unde alia, quæ jam indicavimus, auxilia in uſum vocanda ſunt.

Nec tamen hæc ita dicta velim, ut quoties recrudeſcunt febres, eas his remediis continuo impugnandas crediderim; eſt ubi nimium pertinaces ſibi relinquendæ ſint; ſi v. g. hieme recurrant, nec facile frænari poſſit febrile venenum, exſpectandum donec ver advenerit; imo & aliis temporibus, & in certis temperamentis ab inutili remediorum uſu omnino abſtinendum. Vidi equidem, licet raro, febres ipſa æſtate ita contumaces, ut remediis quibuſcunque obſiſterent; eas vero naturæ commiſi, diætæ ſolummodo rationem habendam curavi, leviaque remedia viſcerum functiones juvantia præſcripſi; fuit ubi plus ſic profece-

fecerim, quam alia quacunque methodo.

Uti in iis febribus, quæ per certum tempus reluctantes vix abigi possunt, præcipua est methodus hæc: ita in iis, quæ recens exortæ & fugatæ relapsum minantur, alia ineunda medendi ratio; cum enim stent vires, nec febris adeo altas egerit radices, ad præparantia remedia revertere tutius erit; unde, si fieri possit, nec evacuantibus nec diluentibus parcendum; ita sublatis quæ supersunt impedimentis, febrifugis absque fructu adhibitis dabitur locus; varie tamen pro variis febribus, aut pro diversa symptomatum natura usurpanda sunt hæc remedia.

Sint v. g. ægri, qui jam a febre aut paroxysmis liberi, vigiliis pertinacibus, aut acerrimis conflictentur capitis doloribus; non intermittenda tunc remedia, sed potius urgenda sunt, prout urgent hæc symptomata; & quidem in universum iis vigentibus sublatam esse febrim credendum non est, sed potius in caput conversam esse veneni febrilis vim; postquam enim sedem ita commutavit, iterum in solitam paroxismorum erumpit incandescentiam.

His ita se habentibus, e capite evocandus est stimulus ille febrilis; nil autem id melius præstare posse quam sanguinis e saphena missionem, apud pleroſque observavi ægros; ea tamen sola non absolvi poterit curatio; unde ut tuta certaque sit, ad emesim iterum confugiendum credidi; deinde vero ad jusçula laxantia & aperientia deveni, & tandem addito iis tartaro martiali solubili, rem omnem, ut plurimum, posse confici

mihi

mihi innotuit; ſi quando ad kinam-kinam confugere opus fuerit, rite adhibitum hoc remedium brevi omnino tempore curationem abſolvit.

Non minus aliquando faceſſunt negotii ſudores, quibus diffluunt ægri, curatis febribus aut ſublatis paroxyſmis; si autem ex imperfecta, ut ſolet, oriatur curatione hæc illuvies, febri male curatæ propria remedia adhibenda ſunt; in hunc ſcopum aliquando, si non inveterata eſſet, si vigerent ægrorum vires, aut quæ præmittenda ſunt, neglecta fuiſſent, ad venæ ſectionem recurrere non dubitavi, nec quidem abſque fructu; tunc haud dubie hærebat in viſceribus ſtimulus, & ſedata irritatione, melius ſe habuere omnia.

Sed alia inſuper ſunt adhibenda remedia, quæ refrænandis ſudoribus ſtatim aptiora videntur; evacuantia nempe ſuccos exundantes a corporis ambitu revocantia; non multum tamen hæc proficient, niſi obſtructionibus viſcerum proſpiciatur, & bilis tum urinæ ſecretioni & excretioni conſulatur; non interim prætermittenda quæ æſtum internum temperare poſſunt; eſt enim, ut plurimum, in ſudorum profluvio ardor interna deurens, & acrimonia partium textum ſtimulans.

Alia eſt in febrium exitu cauſa, quæ ſudores movere poteſt, natura ſcilicet ſanguinis, aut partium debilitas; diverſa ergo methodo his occurrere neceſſe eſt; ſtatim quidem libera ſit alvus oportet, ut & urinarum via; ſed corroborantia, aut quæ deperditum fibrarum tonum reſtituunt, præcipua ſunt curationis inſtrumenta; hinc corterx Peruvianus, aut tinctura ejus vino extracta

ple-

plerumque ſufficiunt ; aut denique ſola juſcula amara cum tartaro martiali ſolubili rem omnem penitus conficient ; magis hæc proficua erunt , ſi addatur exercitium , quod ſolum , non neglecto interim regimine , circulationis & vaſorum vim poſſet reſtituere.

Difficilius ſane eſt certis mederi affectibus , qui impendentem continuo minantur febrim ; ea nimirum repreſſa remanent aliquando anxietates perpetuæ , ciborum faſtidium , marcor & virium dejectio ; morbi denique male curati ſigna undique ſe produnt , idque in vultu præcipue ; lividus enim eſt ſubluteuſque ejus color ; hæc omnia mihi in quadam potiſſimum occurrerunt epidemia , quæ hic loci magnam edebat ſtragem ; recrudeſcebant ut plurimum quæ curatæ videbantur febres ; difficile omnino inde emergebant ægri ; non pauci vero tandem confecti in diarrhœam putridam , aut in dyſenteriam incidebant ; quin imo erat ubi lethalis copioſuſque erumperet ſanguinis effluxus.

His autem & febri obviam ire non licebat , niſi exularet cortex Peruvianus ; eo exaſperari ſolebant omnia ; marcori , virium dejectioni , ſtomachi hepatiſque affectibus ſola aperientia & deobſtruentia occurrere poterant ; diarrhœam putridam non niſi leniter evacuantibus refrigerantibus & antiſepticis refrænare fas erat ; ſymptomata dyſenterica ſimiliter peculiarem , ipſiſque propriam ſibi vindicabant medendi methodum , id eſt lenientem & leviter evacuantem ; non alia conducere poterat adverſus acriorem bilem aut ſanguinem in vaſis meſeraicis antea ſtagnantem , & per inteſti-

norum ductus ſibi vias aperientem.

Cum tandem ejuſmodi adhibita curandi ratione mitiora fierent aut evaneſcerent adeo tetra ſymptomata, non audebant quidam corticem Peruvianum iterum exhibere; exſpectabant nimirum donec natura, aut tempeſtatis mutatio morbi abſolverent curationem; ſed nimium illi remedii hujus vim reformidabant; tuto aliis præmiſſis uſurpari potuit, nec profecto ipſe, ſive perſeveraret febris, ſive ea abſceſſiſſet, ad illud veluti ad certum auxilium confugere dubitavi.

Fatendum interea, alia remedia quandoque eſſe uſurpanda; erat v. g. æger, qui febre intermittenti in hecticam abeunte laborabat; depaſcebat totum corpus degener febrile venenum, marcore fere abſumpta exaruerant membra, ſicca & veluti ſquammoſa rigebat cutis, ſerotinis horis incandeſcebant omnia, pulſus erat admodum frequens; tunc autem, cum nil prodeſſet nec naturæ res committi poſſet, antimonialis remedii vires tentare non abſonum viſum eſt.

Propoſitum ſcilicet erat perſpirationem in exſiccata cute reſtituere, & obſtructa viſcerum reſerare colatoria; in hunc autem ſcopum refracta vini ſtibiati doſis, pluries per diem repetita, ita ut vomitum non moveret, peropportuna viſa eſt; ecce autem poſt aliquot dies omnia in melius mutari incipiunt; decidunt ex tota corporis ſuperficie ſquammæ furfuraceæ; madore perfunditur univerſa cutis, interanea ſimiliter in officium redeunt; abſque ullo denique alio remedio, abſque vomitu & quavis dejectione evanuit febris.

Sum-

Summa eſt in ejuſmodi remedio energia; non quidem quia vomitum ciet aut alvum dejicit, ſed quia ſi minimis atque repetitis ingeratur doſibus, in minima vaſcula & in nervos peculiarem exerit vim, ſecretionum fontes aperit, liquidorum vitia emendat: patent eæ antimonii vires in ipſis animalibus; ſumme proficuum eſt ſuibus, ut obſervavit *Baſilius Valentinus*, & docet experientia; non minus efficax obſervatur in variis equorum morbis, nam per eorum cutem noxios humores expurgat; idem autem in corpore humano præſtabit, ſi rite in uſum vocetur.

Paratur optimum vinum ſtibiatum ex vitro antimonii & vino Hiſpanico; hujus autem ſi aſſumatur drachma, perſpirationem movebit, ſi drachmæ duæ exhibeantur, demittitur leniter alvus, ſi vero drachmæ tres ingerantur, vomitum una vice & abſque anxietate concitabit; id ſaltem ita ſe habebit ut plurimum; ſed de ea doſi hic non agitur, verum de multo minori: certum eſt, quod ſi guttæ aliquot identidem uſurpentur, multa poſſint præſtare, quæ ab aliis fruſtra exſpectarentur; jam autem ad varios effectus febris redeamus.

Egimus jam de aquoſis aut flatuoſis tumoribus, qui per febris decurſum, eaque vigente ſe produnt; ſed, uti alias dictum eſt, ea curata turgent ſæpiſſime infernæ partes; ex ejuſmodi autem tumore, ſi rite adhibita ſint remedia, & veneni febrilis vis perfecte devicta ſit, nihil omnino metuendum; ſe proripit enim ſponte, redintegratis viribus, aqua in textu cellulari colle-

cta; ſi tamen ejus multa fuerit copia, aut diutius ob fibrarum laxitatem in hujus textus hæſerit receptaculis, diuretica, & quæ partium tonum reſtituunt, adhibenda ſunt.

In hunc autem ſcopum juſcula ex amaris aperientibus cum tartaro martiali ſolubili in uſum ſtatim vocanda ſunt; iis ſcilicet eximiæ inſunt vires ad tollendam aut præcavendam colluviem; vinum etiam juniperinum cum ſale martis Riverii idem præſtare poterit, ut mihi multis conſtitit experimentis; non ſola ſunt tamen hæc remedia, quæ uſurpari poſſint; fuere qui & alia feliciter adhibuerint, ut cinerum geniſtæ lixivium; non multum autem intereſt inter remedium hoc & aquam Riverii febrifugam, quæ ſale tartari in aqua ſoluto conſtat.

Hæc quidem expugnandis febrium pertinacium reliquiis egregie inſerviunt; at omnium inſtar viſum eſt vulgare remedium, nullo apparatu commendatum, nec ideo minoris pretii; cum arcani nomine venditaretur, hoc experiri juſſi ſunt Medici fide digniſſimi; non ſolum in febribus recens exortis, ſed in inveteratis, viſcerum obſtructiones minantibus, leucophlegmatia ſtipatis univerſali, inſtituta ſunt experimenta; quod vero non expectari poſſe videbatur, ex omnibus ægris, qui ejuſmodi remedio uti ſuſtinuerunt, nullus fuit qui perfecte non reſtitutus ſit; quid autem tam proficuas exercuit vires? cortex Peruvianus cum nitro, cum ſale ebſamenſi, cum ſale centaurii minoris & tamariſci in opiatam ope ſyrupi de abſinthio concinnatus: cavendum interim ne alcalicis

ſa-

ſalibus inducatur calor noxius, & ne iiſdem acrior ſtimulus, ſtomacho & inteſtinis admotus, turbas cieat; unde ſal ammoniacum cæteris admiſcendum cenſuerim; ita temperatur ipſorum vis & Sylvii ſal febrifugum exoritur.

Aliquando autem non leucophlegmatia, aut tumor infernarum partium, ſed verus hydrops aſcites febri ſuccedit intermittenti; at facile omnino, ut plurimum, curari ſolet, atque id quibuſcunque ferme remediis; ſubductam aquam ex abdomine, ipſo mercurio dulci memini; alias vero purgantibus vel hydragogis, vel diureticorum vulgarium uſu ſublata eſt colluvies; in genere tamen modo memoratis laxantibus, diureticis & deobſtruentibus felicius tollitur; ſi quandoque difficilior ſit curatio, id morbi diuturnitati, vel obſtructionibus viſcerum tribui debet.

Sed occurrit hic non parvi momenti quæſtio; num ſcilicet adverſus ejuſmodi tumores cortici Peruviano quædam inſint vires? & primo quidem memini me olim illius decocto additis purgantibus illuviem cutaneam & aſciticam ſæpius feliciter ſuſtuliſſe; non tamen in quacunque ejuſmodi exundatione purgantium invocare auxilium neceſſe fuit; in pulverem redactum febrifugum hoc quendam hydrope laborantem brevi reſtituit; ita ut in eodem ægro vim purgantem & diureticam exeruerit; alteri ſimiliter tumenti, & febris obſcuras reliquias ab aliquot menſibus trahenti, optime ceſſit idem remedium, cum antimonio diaphoretico conjunctum.

Inde ergo patet hydropem ex febre intermit-

tenti ortum, eidem atque ipſam febrim ſubjacere remedio; non ſolum autem, laxitatem vi tonica emendando, operam præſtat, ſed ipſum febrile venenum ſubigendo; venenum inquam, quod, per varias partes diffuſum, aqueam invexit colluviem; reliquum eſt ſolummodo, ut qua ratione exhibendum ſit ejuſmodi remedium ſtatuamus; atqui cum aperientibus & laxantibus ingeſtum facilius ſtagnantem in textu cellulari aquam in circuitus vias revocabit, e cavis ea turgentibus educet, obſtructa reſerabit vaſa, febriles motus compeſcet, eoſve præcavebit.

Nihil impedit tamen, quin diuretica ſimul uſurpentur; imo ab iis initium fieri poteſt. Vidi hominem jamdiu quartana, eaque neglecta laborantem; intumuerat autem totum corpus; ut vero urgentiori malo occurreret Medicus, ad remedia, quæ urinas educerent, ſtatim ſe convertit, nec quidem infeliciter; ſimilem alias effectum mihi non raro obſervare licuit.

Talia ſunt, quæ adverſus febriles reliquias, aut certos affectus cum eiſdem incedentes mihi uſu comperta ſunt remedia; ſi in iis præſcribendis de cortice Peruviano aliquando ſiluerim, non idcirco illius uſum penitus ablegare mihi mens fuit; ſi enim febris non rite curata fuerit, ſi metus ſit, ne lateat in viſceribus ejus fomes, ſi denique præmiſſa fuerint quæ ad hunc extinguendum præmittere neceſſe eſt, nequaquam a præſtantiſſimo hoc febrifugo abſtinere licet; cum evanuerint enim impedimenta, aut mitiora evaſerint quæ impugnantur ſymptomata, hoc remedio perficienda aut firmanda erit curatio. CA-

CAPUT XIII.

De curatione febrium intermittentium malignarum.

MUlto minus a cortice Peruviano abſtinere licet in febrium intermittentium decurſu, ſi eæ mali moris fuerint; ſed in iis duplex ineunda medendi ratio; alia ſcilicet inſtituenda eſt in paroxyſmorum ferocia, alia vero in eorum declinatione, ſeu in eorundem intermiſſa vi; cum enim a febris natura aliena ſint quibus ſtipatur ſymptomata, illis & febrili cauſæ peculiaria conducunt remedia.

Senſit hoc, ut jam diximus, *Ludovicus Mercatus*, qui de his ſymptomatibus primus fuse egit; propius dein ad curationem acceſſerunt *Mortonus* & *Torti*, qui omnem abſolverunt curandi methodum; nos vero hic quæ experientia propria docti ſumus breviter exponemus.

Non ſingula quidem quæ occurrunt ſymptomata proſequemur, ſed præcipua tantummodo, & quæ adverſus eorum vim uſurpari poſſunt remedia attingemus; & primo quidem, cum impetitur caput, cum inſtat delirium, aut urget apoplexiæ, lethargi, vel comatis ſpecies, peculiaris adhibenda medendi methodus; obſervatum autem eſt ſæpiſſime, quod venæ ſectio, veluti uno ictu, hoc ſymptoma ſuſtulerit; non minus hæc condu-

cit in doloribus acerrimis, in rheumaticis v. g. cruciatibus, in ventriculi aut inteſtinorum torminibus, in pectoris oppreſſione; obſervandum tamen ut in iis adhibeatur ægris, in quibus ſtant vires, vel non collabitur vitalis ſpiritus.

Emeticis & purgantibus ſimiliter ſuus poteſt eſſe locus. In quadam epidemia, ipſo febris initio, memini poſt venæ ſectionem vomitum concitaſſe, idque non infeliciter, ut mali moris ingruentia averterem ſymptomata; ſi vero jam prodiiſſent, ea iiſdem impugnabam remediis; in alia vero ejuſmodi conſtitutione, quæ caput imprimis impetebat, poſtquam tentata erat emeſis & ſimul laxata alvus, ſtatim evaneſcebat lethargi aut apoplexiæ ſpecies, quæ ſummum incutiebat terrorem; imo minus profuiſſe venæ ſectionem quam cathartica conſtanter obſervavi; non equidem me latet *Sydenhamo* ſecus viſum; ſed ut ipſe, ita & ego magiſtræ experientiæ plus quam authoritati tribuendum exiſtimo.

Nec quidem ſolummodo in hoc caſu multum opis attuliſſe ejuſmodi remedia teſtari poſſum; ſed cum ſyncope aliquando velut exanimes concidérent ægri, ipſo paroxyſmi initio, cum alii convulſione tentarentur, cum quidam aphoni eſſent, vomitum audacter concitari poſſe credidi; tunc interea vinum ſtibiatum, cum addito lilio Paracelſi, aliis emeticis anteferendum videtur; non minus hoc remedio in anaiſtheſia exſuſcitari poteſt vitalis ſpiritus, ſi per cætera liceat.

Eum ſcilicet ſcopum ſibi proponat oportet Medicus, ut inſignem quandam mutationem machi-

næ animalis motibus inducat; unde vigentibus per artus doloribus, ægroſque excruciantibus, ſuccuſſione partium internarum occurri poſſe crediderim; quin imo in certis abdominis affectibus, ut in tubi inteſtinalis cruciatu, niſi forte acrior fuerit, eodem remedio utentes improbare non ſuſtinerem; prodeſt id in acutiſſimis dyſenteriis; quare obeſſe credi poſſet in febrili ſymptomate, quod deſinente paroxyſmo deſinit; & ideo multum ab inflammatione abeſſe cenſendum eſt; at hoc prudentiæ opus & labor eſt.

Alia remedia multum abſimilia, ut veſicatoria v. g., prætermitti nullatenus poſſunt in variis affectibus, veluti in hac apoplexiæ ſpecie, de qua egimus, in lethargo, & comate febrili; non minus hæc conferunt in iis paroxyſmis, in quibus ſine motu & ſenſu jacent proſtrati ægri; quod vero minus forte videbitur conducere, in certis doloribus acutiſſimis idem tentare remedium non veritus ſum; cum enim ut plurimum ſpaſmodici ſint, fieri poteſt motuum revulſio aut derivatio ex una in aliam partem; quin imo idem ſuccedere aliquando in pectoris oppreſſione mihi experientia notum eſt.

Narcoticorum uſus non minus commendatur, tum ipſorum natura, tum experimentis, tum variorum ſymptomatum ſævitia; dolores quidem rheumatici atrociter ſævientes illa ſtatim poſtulant remedia; at in doloribus viſcerum, ut ſtomachi & inteſtinorum, ea prætermittere piaculum ſæpe eſſet; his compeſci poſſunt diarrhœa & vomitus, quibus aliquando in ſummum diſcrimen conjiciuntur

tur ægri; hoc interim obſervandum, ne ſolum exhibeatur opium; aromaticis miſceri & iis veluti acui debet, ut in theriaca & laudano liquido Sydenhami; poteſt etiam exhiberi cum ſpiritu minerali anodyno, qui ſolus anxietati & ventriculi ſubverſioni mederi poteſt.

Ut autem multum conferre poſſunt remedia hæc ad variorum ſymptomatum curationem, ita adverſus aliorum vim eadem exhibere nefas eſſet; cum v. g. apoplectici vel lethargici videntur ægri, cum impetitur in iis vitalis ſpiritus, obtunditur ſenſuum vis, frigent partes, deprimitur pulſus, vel ſe omnino tactui ſubripit, tunc, inquam, exitialis eſſet narcoticorum uſus; exſuſcitandæ ſunt potius vires, ut expellendo aut ſubigendo febrili veneno natura impar non ſit.

Non agam hic de diluentibus aut lenientibus, quæ ad tollendam irritationem conferunt, & cuique intuenti patent; non magis motum exſuſcitantibus & excalefacientibus immorari neceſſe eſt; liquet enim quam neceſſaria ſint in ſpiritus vitalis proſtratione, in pulſus ſumma depreſſione, in algore, quo veluti marmoreum fit corpus; ut autem cum majori fructu exhibeantur remedia, non minus quidem ad ſymptomata, quam ad eorum cauſam reſpiciendum; eſt ea ut toxicum, quo inficiuntur liquida, & quo perturbantur variæ partium functiones; videndum ergo quid deleteriæ huic cauſæ poſſit obſiſtere, donec ſponte remiſerit ejus vis, & inducias concedat.

Poſtquam autem deferbuit paroxyſmus & mitiora evaſerunt ſymptomata, adeſt tempus febrili

di-

dicatum antidoto, cortici nimirum Peruviano; illius quidem decoctum exhiberi poſſet, ſed metuendum, ne ſat larga ejus copia ingeri poſſit, aut ne renuant ægri; in tam præcipiti ergo morbo ad pulverem confugiendum, vel potius ad extractum aqueum, de quo toties egimus; nec quidem reformidanda certa ejus doſis; ſi enim levior ſit, ſcopum non attinget; enitendum ergo, quandoquidem ſummum inſtat diſcrimen, ut obruatur febrile venenum; unde ad drachmam unam extracti hujus aſſumat æger oportet, eademque doſis bis aut ter, prout res feret, ante paroxyſmi adventum repetenda.

At occurrit hic quæſtio expendenda, num ſcilicet miſceri poſſint aut miſcenda ſint cum cortice Peruviano purgantia? hæc profecto non aliena erunt in capitis affectibus, imo cum in pectus recidit morbi vis, adhiberi poterunt, ut & in doloribus rheumaticis per artus diſperſis; nec quidquam profecto tunc impedit, quin & ipſa apozemata laxantia & febrifuga in uſum vocentur, ſi ſatis ſuperſit temporis; laxetur tamen potius quam expurgetur alvus oportet, ne hac via diffluat cortex ejuſque vis; intendendæ ſunt præſertim medicaminum vires in febrile venenum, cujus retundendus impetus.

Non ita licet in variis alterius generis affectibus alvum movere; cum v. g. ventriculus aut inteſtina omnem excipiunt feruntque morbi vim, a purgantibus deſiſtendum; imo ſi adſit diarrhœa, refrænanda eſt alvi laxitas; non minus abſonum eſſet purgantibus febrim inſequi, vacillante ſpiritu vi-

vitali, aut cum frigore omnis calor veluti ad interna retractus ab extremis receſſit partibus; tunc potius aromatica, ut ſerpentaria virginiana, in uſum vocanda, & cortici addenda, ut acuatur ejus vis, & per omnium partium receſſus facilius deferri poſſit; in hunc ſcopum cum vino remedium hoc ſæpius exhibere mihi contigit.

Secunda occurrit quæſtio, eaque non minoris momenti, utpote ad morbi diſcrimen propius ſpectans; quæritur nimirum, num ad exhibendum corticem ſemper exſpectanda ſit paroxyſmi remiſſio; & quidem ſi motus febrilis intenſior non ſit, ſed contra adſit virium proſtratio & pulſus debilitas, ſi non magna urgeat in ventriculo aut inteſtinis irritatio, ſi denique per ſymptomatum vim liceat, non liquet profecto quare in re tam ancipiti, non exhiberi poſſit cortex, aut ſolus, aut cum quibuſdam conjunctus remediis; licet intermittere ſoleant ſymptomata, incertum eſt, an futurum ſit, ut brevi diſcedant aut mitiora fiant; interim inſtat periculum, & per conſequens antidoti exhibendi certa neceſſitas; oportet tamen ut febris acrius non urgeat.

Ne autem incertus dubiuſque inter impedimenta hæreat animus, hæc omnia ad quædam reducemus præcepta: I. præ oculis ſemper habendum ægrorum diſcrimen, quod aliquando impenſe urget; II. non de abigendis certis ſymptomatibus per remedia ipſis alias propria cogitandum ſolummodo, ſed præcipue de retundenda febrilis veneni vi, & de obtinendis induciis; III. majus eſt in mora periculum quam in cortice Peruviano adhi-

ben-

bendo; unde non ita ſpectandum, num calorem concitet, aut quid aliud ſequatur ex eo quod aliquatenus noxium eſſe poſſit; IV. tentanda quidem quæcunque in ſubſidium cum eo febrifugo vocari poſſunt, ſed abigenda quæ ejus vires poſſunt infringere; V. cavendum imprimis ne parcior ejus exhibeatur dosis, brevi enim ſcopum attingat neceſſe eſt.

CAPUT XIV.

De curatione febrium remittentium vulgarium.

EA eſt medendi ratio, quæ in febribus intermittentibus ſervanda eſt: jam vero ad remittentium curationem tranſeundum; ſunt autem eæ varii generis, ut diximus, ſeu potius varia eſt earum vis, variuſque decurſus; ſi multæ ſint, quæ graviori non ferantur impetu, nec naturæ vires ſuperare videantur, aliæ ſunt, eæque etiam multæ, quibus univerſa perturbatur animalis œconomia; in iis ſæpe exſurgunt ſymptomata inexſpectata & periculoſa, de quibus jam egimus.

Licet ergo eundem atque intermittentes habeant fomitem, eandemque cauſam, quæ remittunt febres, videndum, num eandem, an potius diverſam poſtulent curandi methodum; eam profecto inſtituere non raro arduum eſt, multiſque e cauſis oritur hæc difficultas; unde iis expendendis immorari neceſſe eſt, ut firmiora curæ jaciantur fundamenta.

Quod

Quod ſtatim negotium faceſſit, eſt remediorum adhibendorum natura eorumque uſus; continuæ enim ſunt ejuſmodi febres, quandoquidem in iis nulla intermiſſio; non alia ergo in iis ſtatim occurrit medendi ratio, quam quæ continuis dicata eſt; atqui reſpuuntur ab iis omnia febrifuga peculiaria, eaque imprimis, quæ tonica ſunt, amara, adſtringentia, calorem inducentia; alienus ergo videtur a febre remittenti cortex Peruvianus; ſi enim febres ipſas vere intermittentes exacerbare ſoleat, cum earum protrahuntur paroxyſmi, & magna eſt ipſarum vis, an proficere poterit in febris continuo vigentis decurſu, licet aliquando remiſſior ſit ejus impetus?

Cum tamen e genere intermittentium ſint ejuſmodi febres, an fieri poteſt, ut remedia omnino diverſa poſtulent? an poterit eſſe omnino adverſum, quod earum ſubigendæ cauſæ, ipſique eliminandæ eſt aptiſſimum? ut ergo hæc omnia, quæ ſibi adeo videntur adverſa, componantur, altius reſpiciendum; videndum ſcilicet an adeo diverſa ſint remittentium ſymptomata, ut iis curandis diverſa omnino via incedendum ſit.

Non tantopere diſſident ea niſi prima fronte; imo conſentit in pleriſque intermittentium & remittentium curatio; ut enim in intermittentibus, ſi dum vigent paroxyſmi, ingeratur cortex, noxius omnino eſt; ita ſimiliter in remittentibus, ſi in paroxyſmorum impetu exhibeatur, res in pejus ruere ſolent; exſpectanda nimirum remiſſio, ut ægris ſuccurrat remedium hoc; & ante expurgatæ ſint oportet primæ & ſecundæ viæ; his enim

tur-

turgentibus, vel adſtricta alvo exacerbabitur febris.

Hoc tantummodo ineſt diſcrimen in earum febrium curatione, quod in remittentibus deferveat tantummodo febris; non tantum ſcilicet conceditur temporis ad eam impugnandam; calor intenſius urget; non ita expedita eſt ſecretionum via; difficilius ergo tolletur morboſus fomes, ſed detrahi poteſt aliquid ex eo, infringet ejus vim cortex, ſi non penitus eam ſuſtulerit; demonſtratur id & ratione ſimul & experientia; certæ ergo ſunt, licet debiliores, in eum fomitem ejuſque effectus illius febrifugi vires; occurrendum ſolummodo impedimentis, eaque quantum licet amovenda ſunt.

Eo magis conducit cortex, quod præcipue in prævertendos paroxyſmos, aut in infringendum eorum impetum ſoleat impendi ejus vis; inde ergo patet, quod licet ii acerbiores sint, poſſit adverſus eos in auxilium vocari remedium hoc; imo eorum ferocia id tanto magis poſtulare videtur; calorem equidem augere poterit, nec tollet ſtatim ut in intermittentibus febrilem fomitem; ſed urgentiori malo ſuccurrendum; magis noceret febris impetus quam medendi ratio; perinde ſe res habet ac in pleuritide v. g. cum febre intermittenti conjuncta; dubium profecto non eſt quin pulmoni ita affecto noxius sit cortex Peruvianus; quia tamen febris intermittentis retundit vim, periculumque ex paroxyſmis impendens avertere poteſt, in uſum vocari debet.

At ſunt certæ leges, quibus ſubjici debet febrifugum hoc; & primo quidem ne exhibeatur oportet,

tet, nisi certum sit adesse febrim, quæ e genere sit intermittentium; patet ex quotidianis Medicorum apud ægros jurgiis, quam sæpe difficile sit earum morem aut ingenium dignoscere; gnari sciunt scilicet non sperandum in ejusmodi febribus a cortice Peruviano levamen, si alia ex causa processerint; sunt equidem minus providi, qui quoties gravius exacerbatam, idque certis temporibus, observaverint febrem, toties per corticem Peruvianum ei occurri posse existiment; atqui tamen ut noxius esset in morbis inflammatoriis, licet aliquando statis horis graves insurgant exacerbationes, an magis conducet in variis febribus, quæ non minus ab intermittentium natura abludunt.

Non tamen quoties ex intermittenti fomite ortum ducit febris, toties adversus paroxysmos proficuus est cortex Peruvianus. Si in vere continuam v. g. mutata est febris intermittens, aut ejus ab initio speciem præ se ferat, hæc continuarum simplicium remedia postulat; ita fit in universum, ut tandem remittat, vel in intermittentem veram redire aut abire cogatur; aliquando vero perfecte curatur ejusmodi remediis; imo, quod alicujus est momenti, non raro observavi intermittentis febris fomitem & causam febri continua superveniente omnino deleri.

Non absimili admodum ratione febri duplici tertianæ continuæ suis periodis distinctæ, nec ab ingenio suo ita aberranti aliquando occurrendum; est ubi hæc ad undecimum, decimum quartum, imo ad vigesimum diem excurrat, magnaque, li-

cet remittat, ſit ejus vis ante paroxyſmos; atqui ea ſic vigente non poteſt exhiberi cortex Peruvianus; ſummum enim æſtum inducit, & vim febrilem intendit; exſpectandum igitur donec remiſſior ſit febrilis impetus; videndum eſt ſolummodo num gravius impendeat periculum, & num morbo ferendo impares ſint ægrorum vires.

Sunt equidem qui voluerint hoc tentari remedium, ea tamen lege, ut ſi non ſucceſſerit, ſtatim prætermittatur ejus uſus; nonnulli vero verſus duodecimum tantummodo diem exhibendum cenſent, ſed errant utrique; incerta tentari non debent, nec præfigendum remediis tempus, quod non certo præfixit natura; ſatius eſt ejus ductum ſequi, eique laboranti opem ferre, prout ipſa poſtulat.

At multæ occurrunt febres remittentes, in quibus paroxyſmi ſeu exacerbationes magno inſurgunt impetu, ægroſque in ſummas adducunt anguſtias; tunc autem alia omnino ineunda eſt via, & gravioris tantummodo periculi habenda ratio; febrifugum ſcilicet audacter exhibendum; nec profecto formidandus ipſius uſus, quia forte levior erit remiſſio; ſatis erit ſi aliqualis ſit; videndum tantummodo num quid huic remedio ſit admiſcendum, & quid aliorum remediorum opera ſimul moliendum ſit.

Quod ſucceſſiſſe ut plurimum obſervavi, eſt emeticum miteſcente paroxyſmo exhibitum, deinde vero apozema febrifugum cum laxantibus & aperientibus concinnatum; ita tamen, ut brevi

tempore effectum ſuum edere poſſit; ſic in genere mitiora fieri ſolent omnia; mitiora inquam, nec enim in ejuſmodi febribus exſpectandum, ut tollantur penitus paroxyſmi veluti in febre intermittenti; ſenſim tantummodo, ut plurimum, ſe propipiunt, eorumque vis concidit; ſæpe tamen in intermittentium claſſem brevi redeunt, non quidem tertianarum aut quartanarum in genere, ſed duplicium tertianarum more incedunt ſtatim hæ febriles reliquiæ.

Exemplis quibuſdam hæc omnia in clariori reponentur luce. Erat Sacerdos, qui febre ſtatim abnormi correptus fuerat; ea dein ita inceſſit, ut vere continua eſſet; una quidem die, licet gravis, mitior eſſe ſolebat; at altera tanto inſurgebat impetu, ut ejus vim ſuperari poſſe non videretur; tunc autem copioſus e ſaphena miſſus eſt ſanguis, &, cum illuxit quædam remiſſionis ſpecies, apozema laxans & febrifugum adhibitum eſt; eo ſtatim ferme fracta eſt morbi vis, & quotidie multum de ea deceſſit; ſic brevi omnia in naturalem ſtatum reſtituta ſunt.

Similis ferme fuit fœminæ caſus, quæ ſtatim intermittente laborabat febri; cum ea neglecta in continuam graviſſimam abiiſſet, per unam diem minus graviter procedebat, altera vero ſummum in exacerbatione inſtabat vitæ diſcrimen; tunc autem in venæ ſectione & cortice Peruviano unica ſpes repoſita videbatur; non facile quidem remiſit morbi acerbitas, de ea tamen non ita multo poſt aliquid detractum eſſe viſum eſt; at paulatim

de-

demiſſa alvo concidit paroxyſmorum vis, & in melius abierunt omnia.

Sæpius autem occurrunt ejuſmodi febres, in quibus ita protrahuntur paroxyſmi, ut alius alium ferme attingat, & breviſſima intercedat remiſſio; non poſſunt ergo adhiberi apozemata, cum longius temporis ſpatium poſtulent; ideo ad corticis pulverem recurrendum, ſeu potius ad extractum ejus aqueum; ipſius drachma pulveris circiter unciam unam æquat, unde repeti poſſunt facilius ejuſdem doſes neceſſariæ, & ita in tuto collocari ægri; tunc autem, ſi uſpiam, extractum illud cum pulvere temperanti aut arcano duplicato admiſceri præſtat; nam reſtinguatur deurens calor, & ſi fieri poſſit, laxetur alvus oportet, ideoque largiori copia exhiberi debent.

CAPUT XV.

De febrium continuarum remittentium, quæ malî moris ſunt, curandi methodo.

UT intermittentes malignæ, ita & continuæ remittentes cortice Peruviano expugnandæ ſunt; pendet autem ejus remedii adminiſtrandi ratio ex febris natura, ex ſymptomatum vi, ex breviori aut longiori remiſſione, ex alvi laxitate aut adſtrictione; ſed in tanta rerum varietate, quid ſinguli caſus ſibi vindicent definire non licet; ſta-

tuemus ſolummodo in genere duplicium tertianarum, quæ continuæ ſunt, & remittentium malignarum non adeo diverſam eſſe curationem; magis ſolummodo in iſtis urgenda ſunt remedia; cum enim tantum impendeat diſcriminis, ſtatim, ſi fieri poſſit, veneno febrili occurrendum.

Ideo in certis præcipue epidemiis, in quibus graviora eſſe ſolent omnia, exitio eſſe poteſt vel minima temporis jactura; morbum ergo, ſi liceat, præcavere aut avertere prima artis lex eſt, ut ejus non exſpectetur inſultus. Cum mihi in quibuſdam impendentem febrim prævidere contigiſſet, eos ſæpius ab ipſa immunes præſtiti; alios vero, cum jam decubuiſſent, brevi provida cura reſtitutos obſervavi; vel leviſſima ſymptomatum mali moris prodeunte ſpecie omnes quantum licuit remediis valentioribus addixi; ita autem plerique imminenti periculo exempti, non ita multo poſt convaluerunt; mirum ſane quam facile ſolis emeticis aut purgantibus, initio poſt venæ ſectionem adhibitis, miteſcant paroxyſmi, qui deinde ſpecificis vix poſſent refrænari.

Sin autem maxime urgeant ſymptomata, eo impenſius in iis debellandis allaborandum; & primo quidem, generalia, quæ dicuntur remedia, aut quæ curationi viam ſternunt, in auxilium ſtatim vocare oportet; deinde vero ſpecificis febrem aggredi neceſſe eſt; in conſtitutione quadam a graviſſimis ſymptomatibus fieri ſolebat initium febribus; ſi autem illis brevi occurrere non tentarent Medici, nullus deinde arti locus erat; tertia aut quarta

exa-

exacerbatione de medio tollebantur ægri; hoc casu frequentius occurrente deterritus, ad venæ sectionem & emesim, breviori interjecto temporis spatio, deveniendum judicavi; deinde vero, ut primum licuit, ad specificum confugi medicamentum.

Illud quidem nullis aliis cum eo usurpatis sæpissime sufficit, idque imprimis si stomachi & alvi expurgationi consultum sit; sin minus vero, atque interim gravius urgeat morbi vis, quæ alvum laxent simul, si liceat, exhibenda sunt; cum in epidemia modo memorata summum esset in mora periculum, statim sæpe post venæ sectionem solo apozemate febrifugo & laxante usus sum, idque dum penitus conciderent symptomata.

In plerisque tamen pulveratum corticem cum arcano duplicato magis proficuum duxi; mens scilicet erat, sanguinem intra breve temporis spatium sufficienti ejus remedii copia imbuere, tum aperienti & purganti salis stimulo vias omnes aperire.

Sed cum ejusmodi tradimus præcepta, supponimus per morbum quantumvis gravem licere, ut de subsidiis purgantibus cogitemus; tam atrocia interim exsurgunt symptomata, ut de veneno febrili obruendo tantummodo nos oporteat esse sollicitos; nisi statim retundatur ejus deleteria vis, de ægris non raro actum est; unde febrifugum solum, quantum fieri potest, aliquando ingerendum, nullo alio ipsi admixto medicamento; resederit oportet tam periculosi morbi furor, ut la-

xandis excretionum organis incumbamus.

At iterum, ut jam diximus & per ſe patet, purgantibus alias ob cauſas non eſt ſemper locus; non ſolum in variis viſcerum affectibus, cum ſæviunt v. g. dolores ex febre orti, ableganda ſunt quæcunque ſtimulant; at ipſa irritatio quamprimum compeſcenda eſt; equidem cortice Peruviano tollitur febrilis veneni ſtimulus, licet tantopere ſtomachum & inteſtina aliquando urgeat, inſuper tamen narcoticis, ſeu anodynis opus eſt; conducunt ea imprimis in vomitu pertinaci & ſtomachi doloribus; e contra vero variis in ægris ſpiritui animali ſunt reſtituendæ vires.

Non autem hic de noxia aliquando corticis vi cogitandum eſt; præ oculis habendum ſolummodo ferme quod inſtat diſcrimen; malo graviori, ut diximus, occurrendum; cum vero miteſcere incipiet, multorum, quæ prætermittere opus fuit, poterit haberi ratio; nec quidem ejuſmodi medicamenti uſum ſolummodo urgere oportet, ejuſdem aliquando acuenda eſt vis, tum aromaticis, tum volatilibus; in anaiſtheſia v. g., in pulſus depreſſione, in algore, qui totum invaſit corpus, hæc, quæ alias nocere poſſent, quia calorem concitant, nequaquam metuenda ſunt, imo ut omnino neceſſaria habeantur oportet.

Certam ut plurimum hanc medendi rationem experientia, tutam vero fidamque ipſæ corticis vires demonſtrant; eſt nimirum in eo ejuſmodi energia, ut, cum febrile venenum per varias partes more inſolito aberravit, id ſalubri hoc medica-

mento mutetur aut expellatur, & veluti in fomitem ſuum revocetur: certum eſt ſaltem ita infringi ejus miaſmatis impetum, ut ægrorum jam ferme animam agentium non moliatur perniciem, iique aliquando veluti exſuſcitati reviviſcant: at tanto nequeunt defungi periculo, niſi affatim exhibeatur cortex Peruvianus, aut ſaltem multum augeatur doſis; imo ſi ea ſcopum non attigerit, major protinus imperanda.

Quod tempus ei exhibendo opportunum attinet, exſpectare quidem præſtat, donec remiſerint exacerbationes; eſt tamen ubi diutius eæ protrahantur, nec de ipſarum vi quidquam ferme videatur decedere; tunc vero præmiſſis præmittendis ad corticem audacter deveniendum; eo minus reformidanda ejus vis, quod pulſus deprimi ſoleat, nec quidem, ſi ejus non ita eſſent depreſſæ vires, idcirco a febrifugo eſſet temperandum; eſt id in tam ancipiti morbo, ut diximus, veluti ſacra anchora, qua ſola retineri & firmari poteſt vitalis ſpiritus.

Ut autem levior aut gravior eſt morbus, ita in ipſum corticis vis, modo major, modo minor eſt, & citius aut tardius ſuccedit; ſiquando ſtatim ferme febrim tollat, eſt ubi ſenſim tantummodo de ejus ferocia aliquid detrahat; multum profuiſſe cenſeri debet, ſi res ne in pejus ruant impediat; non ergo, cum optatum ſtatim non attingit ſcopum remedium hoc, intermittendus eſt ejus uſus, imo impenſius ſæpe urgendus eſt; videndum ſolummodo, num quod adſit quod

aver-

averti poſſit impedimentum? num præmiſſa ſint præmittenda? num ſat miſſum ſit ſanguinis? num ſtomachus ſufficienter expurgatus? num alvus demittatur? num denique ſpecifico addenda addita fuerint?

Interea ſymptomatum, in quibus poſita videtur omnis morbi vis, ratio imprimis habenda eſt; cortex equidem tanquam præcipuum adverſus ea arcanum haberi debet; ſed alia in iis non raro adhibere oportet; quæ autem ad inſtituendam curam ducere poſſunt, ea ex iis, quæ de febris intermittentis malignæ ſymptomatibus diximus, repetenda ſunt; referri hæc poſſunt ad quoſcunque caſus, qui in remittentibus mali moris ſolent occurrere; non aliud profecto inter utraſque proſtat diſcrimen, niſi quod inter paroxyſmos febrium intermittentium malignarum longius inſit intervallum, in eoque ægri mitiores experiantur febris reliquias.

At quo in iis oppugnandis ſymptomatibus remediorum prævideatur effectus, aut promoveri poſſint naturæ conatus, motuum criticorum imprimis habenda ratio; ii quidem magis conſpicui ſunt, cum levioribus auxiliis ſive remediis generalibus tentatur ſymptomatum curatio; at ii tardiores ſunt, & interea in certamine adverſus febrile venenum vires poſſunt deficere; per ſudorum autem vias ut plurimum ſolet expelli, & ita certius ſe proripit; non enim ſic judicata reviviſcit febris: aphthas quidem *Mortono* ſæpius memoratas me non obſervaſſe fateor; pertinebant forte

ad

ad regionem aut ad epidemiam peculiarem; per ſedes vero & ſæpius per urinas ſeceſſiſſe morbi cauſam edoctus ſum.

Cum uſurpatur cortex Peruvianus, minus quidem conſpicua eſt criſis; occurrit tamen ſæpiſſime, imo, ſi propius res inſpiciatur, etiam cum abeſſe videtur ejus quædam veſtigia reperire eſt; ea autem manifeſto prodeunte celerrime judicatur morbus; videndum interim ne quibuſdam decipiamur evacuationibus ſymptomaticis: hæmorrhagiam, vomitum, alvi fluxum adducit aliquando febrilium ſymptomatum vis, eaque morbum exaſperari potius quam ſolvi experientia docet.

Quod vero tempus ſpectat, quo cortice Peruviano tolluntur febres, cum tetris de quibus jam egimus ſymptomatibus, id omnino varium eſſe poteſt; prima die aliquando ſummum adeſt levamen, & evaneſcere videtur periculum; ſæpiſſime intra biduum triduumque res confici ſolet, in certis ſaltem epidemiis; alias vero longius protrahitur febris, remanentve per certum tempus ejus veſtigia; at de ea ſemper aliquid detrahitur; ſi vero vel ipſis initiis nullatenus febrifugo attingatur morbi vis, metuendum ſane ne æger ea tandem oppreſſus fato fungatur.

Ut melius pateret curandi methodus, plura congeſſeram exempla; ſed his ſuperſedere viſum eſt; nulli ſunt caſus, qui iidem omnino ſint, unde nullus eſt, in quo eadem præciſe conducere poſſint remedia; ſatius ergo videtur omnia quæ ex naturæ latebris protulit experientia ad cer-

tas leges revocare, ex iisque curandi rationem in singulis ægris deducere; hoc inest sæpe observatoribus vitium, ut dum omnia sensibus obvia colligunt, de doctrina his superstruenda parum videantur solliciti; est ea tamen veluti fastigium, quod observationibus, ut proficuæ sint, supereſt imponendum.

FINIS.